MASTER NEGATIVE NUMBER

00 261 25

UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN
URBANA, IL 61801

AS PART OF THE
DITTENBERGER-VAHLEN
IC 6 PRESERVATION GRAN
PROJECT
Funded by the
National Endowment for the
Humanities

TLE: De Vergilio
etarvm imitatore
stimonia ...

LACE: Gottingae

Storage Number : 00-261.25


rgilio poetarvm imitatore testimonia ...
Author(s): Regel, Georgius, b. 1884.
cation: Gottingae, Officina academica Dieterichiana, 190
Description: 87, [1] p. 21 cm.
Language: Latin
SUBJECT(S)
Descriptor:
Classical poetry -- History and criticism.
Named Person:
Virgil.
Note(s): Vita./ Dissertation: Inaug.-diss.--Göttin

OCLC: 10932090

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign


100 mm
1.25
1.1
1.0
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0
5.6
6.3
1.0 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890
1.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890
2.0 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890
2.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

Regel, Georgius.

De Vergilio poetarum imitatore testimonia: diss.inaug. 1907.

ATTENTION

This container is for the **protection and preservation** of the library materials stored in it.

*Please handle its contents with care.

*Please return contents to the container in the best possible order.

*Please return this item directly to the attendant at the service point from which it was borrowed.

***Please do not return <u>via</u> a bookdrop.**

Conservation Unit
UIUC Library

DE VERGILIO POETARVM IMITATORE TESTIMONIA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GEORGIVS REGEL

AQVENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMVII.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt Fr. Leo et Ed. Schwartz.

Examen rigorosum habitum est Kalendis Sextilibus a. MCMVII.

PARENTIBVS SACRVM.

Quamvis multa inde ab antiquis temporibus de Vergilio veterum poetarum imitatore disputata sint, multum abest, ut viri docti illa de quaestione, quam sit obnoxius Vergilius poeta exemplaribus suis, consentiant. Quot enim vel sententias vel versus totos vel locos integros Vergilius e poetarum latinorum veterum aequaliumve operibus in carmina sua transtulerit, litterarum latinarum reliquiae non concedunt, ut ubique ipsis carminibus comparatis intellegamus. Testimoniis igitur opus est, qualia interpretes Vergiliani tradiderunt; neque vero satis est annotationem grammaticam adhibuisse, quia rationem et gradum similitudinis quam accurate verbis significaverint grammatici nec ab initio satis constat nec satis quaesitum est. Ergo quae de singulis locis tradiderunt, propositum est singillatim, ubi licet, examinare, unde de reliquis, ubi non licet, possit coniectura fieri. Qua in re tractanda ita progrediemur, ut primum quae de poetis graecis, de Homero praecipue, tradita sunt, perlustremus, deinde de poetis latinis agamus, ex quorum numero feliciter evenit, ut ipsum comparare liceat Lucretium. In qua quaestione tractanda ultro fiet, ut, qualis sit Vergiliana imitandi ars, adumbretur. Denique quoniam ad auctoritatem illius memoriae diiudicandam multum interest scire, quo modo et orta sit et ad nos pervenerit, antequam ipsos locos componamus, de scholiis et de Macrobi libris generatim pauca dicenda sunt. Atque originem ducunt illae notationes sine dubio ex interpretis cuiusdam, fortasse Hygini, luculento opere, quo ex litteris graecis et latinis Vergili exemplaria videntur collecta

esse; quae doctorum studiorum causa quaesita postea vel ab obtrectatoribus deformata vel ab indoctis parum moderatis verbis reddita ad nos venerunt.

I. De poetis Graecis.

De scholiis et Macrobio

Servi commentarium [1]) constat parvam totius scholiorum copiae praebere partem et eam vilem discipulisque maxime idoneam; quo fit, ut praeter Homerum in Aeneide frequentatum exemplar, Theocritum Eclogarum, Hesiodum Georgicorum exemplaria saepius nominata fere solius in Aeneide Apolloni Rhodii vestigia via quadam et ratione ostendantur [2]), in Georgicis solus accedat Aratus [3]). Quibus interdum auctis addit Servius quem dicunt Danielinum [4]) unum Theopompum, Probi qui dicitur commentarius Eratosthenem.

Macrobi Saturnaliorum liber V, quo Vergili exemplaria graeca quaedam collecta afferuntur, e compluribus fontibus videtur fluxisse. Omnia enim, quae de Homero affert Macrobius, uni deberi dissertationi doctae demonstratur his rebus: primum singuli ad singulas partes loci ita distribuuntur, ut ordinem teneant versuum Vergilianorum atque vix unus locus bis afferatur (id quod facillime fieri potuit, si Macrobius — imprimis in capp. IV—X et in capp.

---

1) Infra saepius significabitur littera S.

2) Accedunt tragici poetae [Aeschylus: a. VI. 19 remigium alarum = Agam. 52 *πτερύγων ἐρετμοῖσι ἐρεσσόμενοι*, cf. Lucret. VI. 743 remigi oblitae pennarum. — Euripideae Alcestidis (v. 74) exemplar scholiis affertur ad a. IV. 694 sqq., ubi Iris Didoni mortuae crinem inducitur abscindens, cf. Macrob. V. 19. 1; ad a. IV. 470 Euripidis (Bacch. 914) et Pacuvi mentio fit, ad a. VII. 337 Euripidis (Hecuba 320). Quae auget Macrob. V. 22. 7 ad a. II. 351 de diis templa relinquentibus, V. 18. 13 ad a. VII. 684 de Hernicis; idem V. 19. 6. — Sophoclis *Ριζοτόμους* affert ad a. IV. 513.] et Anacreon (a. I. 749 et XI. 550).

3) Praeterea Xenophontis Oeconomica (g. I. 43) et *ἀδέσποτος* versus (g. I. 227).

4) Infra saepius litteris DS significabitur.

XI—XIII. — e diversis fontibus hausisset); deinde liber ille exscriptus proditur verbis quae sunt (cap. XI. 1): ‚et haec quidem iudicio legentium relinquenda sunt, ut ipsi aestiment, quid debeant de utriusque collatione sentire. Si tamen me consulas, non negabo . .‘; etiam e more esse Macrobi, ut ‚singulos in singulis rebus narrandis auctores sequatur‘, Wissowae dissertatione [5]) probatum est.

Quae de ceteris Graecis profert Macrobius, ea partim antecedunt tractationi Homericae, partim eam sequuntur; illa, quae antecedunt (cap. I. 1—6), etiam in dissertatione Homerica prooemii locum habuisse verisimile est. Sed certe demonstrari potest inter huius prooemii verba aliquid esse insertum, quod ex alio fonte fluxerit. Nam cum in § 6 initium fiat verbis quae sunt: ‚iam vero Aeneis ipsa nonne ab Homero sibi mutuata est errorem‘ e. qu. s., sequitur, ut in iis, quae antecedebant, proprie de Aeneide nondum quicquam dictum fuerit. Ac revera in initio paragraphi antecedentis — id quod exspectamus — de Eclogis et Georgicis breviter agitur: ‚Dicturumne me putatis ea quae vulgo nota sunt, quod Theocritum sibi fecerit pastoralis operis auctorem, ruralis Hesiodum, et quod in ipsis Georgicis tempestatis serenitatisque signa de Arati Phaenomenis traxerit‘. Unde idoneum erat pergere: ‚iam vero Aeneis ipsa . .‘. Sed pergit Macrobius miro modo: ‚vel quod eversionem Troiae . . a Pisandro paene ad verbum transcripserit‘; atque sequuntur multa verba de Pisandro magno poeta. Quae non tantum contraria sunt sequentibus, sed mira hoc quoque, quod velut ‚vulgo nota‘ [6]) referuntur vel ‚pueris decantata‘ [6]); quod si est, cur de Pisandro multis verbis agitur ut de poeta ignotissimo? Unde colligimus ea, quae de Pisandro affert Macrobius, aliena esse ab auctore principali atque a Macrobio aliunde addita [7]).

---

5) G. Wissowa, De Macrobii fontibus. Wratislaw. 1880. p. 2.

6) Bis idem; alterum exscripsisse, alterum addidisse videtur Macrobius.

7) Cf. Wissowa l. l. p. 9. ‚adsuevit porro Macrobius adsuere pannos parvuli plerumque ambitus ex aliis fontibus depromptos, quos cum ipsa

Ea quae sequuntur tractationem Homericam ab initio (cap. XVII. 1 sqq.) et novo sono Vergili laudi obtrectante et transitione molesta novorum fontium compilationem produnt [8]). Porro agitur de Apollonio Rhodio et de Pindaro; qui locus e Gelli N. A. XVII. 10 exscriptus est. E reliquis denique huius libri capitibus hoc commemoratione dignum est, quod unum versum (g. I. 437) Graecis nominibus compositum ad Partheni exemplar factum esse secundum Gellium XIII. 27 Macrobius annotat; quae de tragicis poetis proferuntur, supra p. 6 ann. 2 attulimus.

His observatis apparet Macrobium unam dissertationem, qua tractabatur Homerica imitatio et iam commemorabantur Theocritus Hesiodus Aratus, auxisse aliis poetis allatis, quorum de duobus (Pindaro et Parthenio) Gellium, de duobus reliquis (Pisandro et Apollonio [9])) ignotos auctores adiit. Atque dissertationem illam Homericam verisimile est ortam esse e commentariis veteribus; unde exscripsit auctor locos per librorum et versuum ordinem una cum iudicio ab interpretibus facto atque digessit materiam in tres partes. Qui fuerit ille auctor, nemo dicat [10]);

---

narratione adeo fere nescit scite coniungere, ut interpolatio facile adgnoscatur'.

8) Postquam enim Vergilius quod deficiente exemplo Homerico ineptam invenerit belli causam, indignis verbis vituperatus est, transitio male fit verbis quae sunt: ‚alium non frustra dixi, quia non de unius racemis vindemiam sibi fecit . .', cum iam in initio de Theocrito Hesiodo Arato Pisandro dictum sit.

9) Illud de Apollonio dictum proprie redire ad scholia apparet comparato Servio ad a. IV. 1. De uno Pisandro dubia res est.

10) Quod H. Linke (De Macrob. fontibus. Wratislaw. 1880) — quem sequitur G. Tolkiehn, Homer u. d. röm. Poesie, Lpzg. 1900 — putat Asconi Pediani contra obtrectatores librum Macrobiani libri fontem primarium esse, nullis argumentis probatum est. Nam Donati Vitae verba quae sunt (p. 66. 2. Reiff. Sueton.): ‚Asconius Pedianus libro quem contra obtrectatores Vergilii scripsit, pauca admodum obiecta ei proponit eaque circa historiam fere, et quod pleraque ab Homero sumpsisset . .', Asconium hoc libro de historicis quibusdam quaestionibus (i. e. de antiquissimis temporibus Romanis et de historia fabulari) egisse demonstrant; qua in re tractanda interdum imitationem Homericam attingens poetam defendisse dicitur.

neque est magni momenti auctoris nomen novisse, cum facile quivis homo eruditus tale opus conscribere potuerit. Sed hoc animadvertas volo Macrobiani libri hanc magnam partem proprie item atque Servi commentarium scholiorumque fragmenta e magna scholiorum veterum copia ortam esse; quo factum est, ut ab omnibus fere iidem poetae nominentur, quamquam singillatim saepe alius alios locos afferat.

1. De Homero.

Ex iis quae de Macrobio et Servio diximus, sequitur, ut de rationibus inter Homerum et Vergilium intercedentibus longe plurima tradita sint. Ac si quis cognoscere volet, quibus rebus differat utriusque ars, locos a Macrobio compositos diligenter inter se comparet. Nobis, cum scholiorum elocutionem maxime velimus agnoscere, plerumque satis erit quae scholia de Homero proferant, singillatim examinavisse. Incipiamus igitur a versibus singularibus; quos sequantur loci et minores et ampliores.

a) de versibus singularibus.

1) g. I. 383 iam varias [11]) pelagi volucres et quae Asia circum dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri ... S.: ,et est Homericus versus: *Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καυστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα*' ⟨*B.* 461⟩. — Hoc recte observatum est. Vergilius enim Varronis Atacini versus, quibus hic in Arati signis reddendis usus est (v. infra p. 82 sq.), exornare studuit Homeri praeclaro versu ad verbum expresso et inter Varroniana inserto (cf. de Arato p. 30).

2) a. III. 97 hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris et nati natorum et qui nascentur ab illis. *Υ.* 307 *νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει καὶ παίδων παῖδες, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.* S. ad 98: ,sane hic versus Homeri est' [12]). Macr. V. 3. 8 inter ,versus ad verbum

11) De lectione ,varias' vide p. 83.

12) Pergit: ,quem et ipse de Orpheo sustulit, item Orpheus de oraculo Apollinis Hyperborei. Mire autem sequenti versu hoc ostendit

paene translatos'. — Item recte interpretes; sunt enim Homeri versus omnibus noti, unde initium ducit tota Aeneadum historia; quos versus Vergilius ad verbum vertere studuit.

3) a. VII. 641 Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete. S. ,est autem Homeri versus'.
⟨cf. *B.* 484. *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.*⟩
— Hoc non recte dictum est; locus quidem totus Homeri exemplum imitatur, sed ille versus alienus est ab Homerico. Fortasse igitur proprie annotatio spectat ad totum locum vel ad v. 645 (cf. Macr. V. 13. 9).

4) a. IX. 328 (Euryalus noctu per castra hostium clam procedens inter alios occidit Rhamnetem augurem, de quo legimus:) Sed non augurio potuit depellere pestem. S.: ,est autem versus Homeri'. cf. Macrob. V. 9. 10:

B. 858. *καὶ Ἔννομος οἰωνιστής·*

ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσσατο Κῆρα μέλαιναν, ἀλλ' ἐδάμη.

— Sane Vergilius Homerica imitatus est, id quod maxime demonstratur initiis: ,sed non augurio '= *ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν.*

5) a. IX. 764. Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque. S. ,Homeri versus, tantum coniunctione mutata: unde apparet non ad historiam, sed ad ornatum poematis haec omnia pertinere'. (Cf. Macrob. Sat. V. 17. 17).

E. 678: *Ἄλκανδρόν θ' Ἅλιον τε Νοήμονά τε Πρύτανίν τε.*
— Sane hunc versum totum transtulit, similiter ut a. III. 270 sq., ubi cf. DS; de aliis locis cf. Macr. l. l.; imprimis g. I. 437. et g. III. 550. Amat enim poeta versus nominibus propriis Graecis compositos ad linguam Latinam transferre.

6) a. X. 361 Haeret pede pes densusque viro vir. S.: ,et est Homeri versiculus'. — De hoc versu v. infra p. 80.

7) a. XII. 84 ⟨Equi⟩ qui candore nives anteirent, cursibus auras. S. ,Homeri versus verbum ad verbum'.

---

dicendo: »haec Phoebus ..«'. Quo invento interpres tollere studet, quod Vergilius illos versus datos esse ab Apolline dicit, qui apud Homerum inveniuntur.

⟨*K.* 437 *λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι*⟩. — Magno studio hunc versum vertit Vergilius sensum cum antitheto servans, sed locutionem duplicem simplici mutans; apparet, quam non accurate dictum sit ‚verbum ad verbum'.

His inspectis versibus apparet quamquam versus ipsi non sine causa notantur, tamen verba quibus utuntur scholia, interdum modum non tenere. Idem fit in Macrobi l. V., qui in numero ‚versuum ad verbum paene translatorum' (cap. 3. 1—14) partim revera tales versus collegit [§§ 3, 4, 6, 8 (una cum Servio), 11, 12] partim versus attulit vel locos, quos Vergilius valde mutavit (§§ 2, 5, 7, 9, 10, 13).

b) de locis minoribus.

α. loci qui dicuntur ‚translati' vel ‚sumpti' esse ex Homero.

1) g. IV. 261 S. ‚tres comparationes singulis impletae versiculis de Homero translatae sunt, quas ille binis versibus posuit'. — Res subtiliter observata; scilicet argumentum trium comparationum ab Homero sumpsit et ut ille per anaphoram coniunxit (ut ter Vergilius, *οὔτε τόσον* Homerus), sed ordinem mutavit (a b c Homeri = c a b Vergili) et verbis libere usus est (ignem e silva transtulit ad fornacem). Compares:

Ξ. 394. *οὔτε θαλάσσης κῦμα τόσον βοάᾳ ποτὶ χέρσον, ποντόθεν ὀρνύμενον πνοιῇ βορέω ἀλεγεινῇ.* *οὔτε πυρὸς τόσσος γε πέλει βρόμος αἰθομένοιο οὔρεος ἐν βήσσῃσιν, ὅτ' ὤρετο καιέμεν ὕλην.* *οὔτ' ἄνεμος τόσσον γε ποτὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν ἠπύει . .*	g. IV. 260 tum sonus auditur gravior tractimque susurrant, frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster, ut mare sollicitum stridit refluentibus undis, aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.

2) a. V. 85 (omen serpentis septies tortae = *B.* 308 sqq.) S. ,hunc locum de Homero sumpsit, qui inducit Graecos apud Aulidem omen futuri decennalis belli ex serpente collegisse, qui etiam matrem consumpsit novem pullis comesis: ita ergo nunc etiam Aeneae omen sui erroris ostenditur septem gyris: nam septimus ei annus est finis erroris'. — Iam ex his verbis apparet Vergilium de Homeri carmine paene nihil ,sumpsisse' nisi serpentem, quae omen aliquod praeberet. Quod monstrum horridum apud Vergilium multis verbis describitur. Sed neque aves ullas consumit neque a Iove in lapidem commutatur. Omen Vergili continetur septem gyris, Homeri novem pullis. Qui sit sensus ominis, nescitur: sed legentes divinant attracto Homeri exemplo.

3) a. V. 517 (cf. infra p. 17). S: ,sane sciendum hunc totum locum ab Homero esse sumptum, unde inanis est vituperatio Aeneae, quod suspenderat avem maternam' (cf. Schol. Veron.) — Verba pertinent ad totum certamen sagittandi, quod ad Homeri exemplum poeta finxit.

4) a. XI. 483 (Feminae Laurentinae Minervam precantur). Serv.: ,Haec autem omnis oratio verbum ad verbum de Homero translata est' ⟨Z. 305 sqq.⟩ et infra: v. 484 ,frange manu telum: Homerus *ἆξον δὴ ἔγχος Διομήδεος*'. v. 485 ,pronum sterne solo: Homerus *πρηνέα δὸς πεσέειν*'. ,portisque effunde sub altis: Homerus *Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων*'. Cf. Macrob. V. 3. 10 inter ,versus ad verbum paene translatos'.

— Conspirant verba a Servio notata, reliqua discrepant; ipsa invocatio triplex quidem est ut apud Homerum, sed verbis variata (Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo: *πότνι' Ἀθηναίη, ῥυσίπτολι, δῖα θεάων*).

β. loci qui dicuntur ,Homeri esse'.

1) a. V. 808 (Neptunus narrat Veneri roganti, quanto studio ipse Aeneae fuerit auxilio ad Xanthum flumen. Quod Homerus narrat *Υ.* 318 sqq.). S.: ,omnia haec Homeri sunt'.

— Agitur de versibus octo (804—811)[13]), quibus Vergilius res ita gestas esse narrat, ut apud Homerum leguntur. Uno tantum loco ad verba Homeri quasi digitum intendit (v. 807 nec reperire viam atque evolvere posset in mare se Xanthus ~ *Φ*. 218 *οὐδέ τι πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν στεινόμενος νεκύεσσι*), ad quae verba Servius annotationem facit.

2) a. IX. 435 = *Θ*. 306 sqq.

S.: ‚Homeri est et comparatio et figura. nam et ille sic ait, ut multorum unum diceret caput'. Cf. Macr. V. 10. 13.

— Homerus virum vulneratum, qui caput demittit, comparat cum frutice papaveris, cuius caput et fructuum gravitate et ventorum flatu humum deflectitur. Fere eadem comparat Vergilius in secunda parte comparationis suae, praeterquam quod flores detrahi dicit pluvia. Sed adicit novam comparationem in priore parte, qua flos aliquis purpureus describitur aratro laesus[14]). Intellegimus igitur Vergilium quasi certare cum poeta Graeco atque illum adaequare studere vel superare. Qua re commotus mutavit et auxit Homerica; sed retinuit ‚figuram' quam dicit Servius, quod singulare ‚caput' posuit pro plurali.

3) a. IX. 806 = *Π*. 102—111. DS: ‚totus locus Homeri est'. — Vide infra p. 78.

4) a. X. 270 (Aeneae armorum fulgor comparatur cum fulgore cometarum vel Sirii). — S: ‚est autem Homeri et locus et comparatio. hoc autem iste violentius posuit, quod ille stellae tantum fecit comparationem, hic etiam stellae pestiferae, respiciens quas clades Rutulis sit inlaturus Aeneas'.

— Duas partes habet Vergili comparatio, quarum priore (v. 270 sqq.) arma nitentia describuntur, altera ipsa

---

13) Tres versus a. XI. 483, ubi de ‚omni oratione' dicit Servius. v. s. p. 12. s. n. 4).

14) Cf. Catull. XI. 22. qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos praetereunte postquam
tactus aratro est.

comparatio fit: quae partes sunt Servi ,locus et comparatio'. Hoc recte observatum est (cf. Macrob. V. 10. 12 et 13. 35, ubi comparantur cum priore parte: *E.* 4 (cf. *Σ.* 214. al.), cum altera: *X.* 25—32). Sed ut arma nitentia Vergilius suo modo describit ita ad comparationem liberrime redditam ,cometas' adicit. Satis accurate illam sententiam exprimit, quae toti comparationi poetarum gratiam peperit (cf. Apoll. Rh. Arg. III. 955), quod stella quamvis luceat tamen timenda sit — id quod per comparationem etiam de viris poetae dicere volebant: ,ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris nascitur' ∾ X. 31 *καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι*, quem locum interpres neglexisse videtur.

6) a. XII. 67 sqq. (Laviniae genis erubescentibus comparantur et ebur ostro tinctum et liliae cum rosis mixtae). S. ad priorem partem: ,Homeri comparatio, unde et »violaverit« transtulit: ille enim ait *μιήνῃ*'. Cf. Macr. V. 12. 4 = *Δ.* 141. — Homeri versum (141) sane paene ad verbum studiose vertit Vergilius; sed quod de Menelao sanguinem fundente dicit Homerus, transfert ad virginem erubescentem et quasi florem decerpsit longae comparationis. Etiam Homeri ,femina' (*γυνὴ . . Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα*) praeterita potius eburi et ostro operam dat describendis (Indum . . sanguineum) et nova comparatione addita Homerica studet superare.

7) a. XII 206 (Ut Achilles notissimo loco *A.* 234 sqq. sic apud Vergilium Latinus rex iusiurandum dat per sceptrum, quod numquam viride futurum sit).

S: ,Homeri locus verbum ad verbum'. Cf. Macrob. V. 3. 13. inter versus ,ad verbum paene translatos'. — Singulis Homeri enuntiatis respondent accurate singulae Vergili sententiae. Quod iam cognosci potest e particulis quae sunt:

τὸ οὔποτε (*φύσει*)	ut numquam (fundet)
ἐπειδὴ πρῶτα (*λέλοιπεν*)	cum semel (caret)
νῦν αὖτε (*φορέουσι*)	nunc (dedit)

Tamen Vergilius has sententias nova materia quasi complere studuit. Quod maxime assecutus est inducta

metaphora qua velut homo sceptrum describitur. Homeri ,λέλοιπεν' reddit perspicua imagine ,recisum matre 'caret' atque similiter Homeri illud: ,περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε φύλλα τε καὶ φλοιόν dubio sensu exprimit verbis quae sunt:

posuitque ,comas' et ,bracchia' ferro.

Praeterea pulchre addidit ,umbras'. Deinde quasi unum gradum sceptri e ramo orientis intericiens artificem inducit sceptrum ferro includentem. Postremum ultimam comparationis partem et contraxit et ad historiam suam adaptavit. Unde apparet, quam falso interpretes dicant hunc esse Homeri locum ,verbum ad verbum'.

8) a. XII. 896 (Turnus in certamine singulari lapidem conicit in Aeneam). Ad quem locum Servius dicit: ,Homeri totus hic locus est'.

— Servi verba pertinere videntur ad vv. 896—900. Homerus similia narrat compluribus locis, qui omnes, ni fallor, ad Vergili locum aliquid attulerunt:

897. saxum antiquum ingens campo quod forte iacebat.
H. 264 sq. λίθον . .
κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα τρηχύν τε μεγάν τε
899. vix illud lecti bis sex cervice subirent,
qualia nunc hominum producit corpora tellus.
E. 302 sq. χερμάδιον . . ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν
οἷσι νῦν βροτοί εἰσ', ὁ δέ μεν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.
Cf. *M.* 445 sqq. Ἕκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν (cf. 901 raptum)
τὸν δ' οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω . . ὀχλίσσειαν.

Apparet igitur, quid sumpserit de Homeri carmine. Sed videmus quoque, quid et quo modo mutaverit: primum saxum dicit esse antiquum atque unum de agrorum terminis; deinde minus moderate quam Homerus duorum hominum loco posuit duodecim[15]; postremo totam rem suis verbis reddit: cf. οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν ~ ,qualia nunc hominum producit corpora tellus'.

---

15) Apoll. Rhod. Arg. III. 1365. iam quattuor viros simili loco posuerat; de tota quaestione cf. Norden, Comm. z. Aen. VI p. 286 ad v. 625.

9) a. XII. 908—914 = X. 199 sqq.

(Lapide frustra coniecto Turnum mens et vis deficit sicut interdum in somniis quod volumus perficere non licet).

S: ‚Homeri comparatio'. — Homerus similiter factum esse dicit, ut neque Hector fugere neque Achilles persequi posset atque interdum in somniis fieri videatur. Vergilius praeter cursus frustra susceptos etiam linguam commemorat officium negantem. Longum est singulas res afferre: primo aspectu intelleges huius comparationis omnia Vergili esse, et formam et descriptionem et verba; solam sententiam principalem, qua continetur comparatio, invenit apud Homerum.

10) Praeterea verbis quae sunt ‚Homeri est' vel ‚hoc Homeri est' Servius interdum voces quasdam notat Homericas, qualis est illa: g. IV. 233 ‚Oceani amnes'. S: Homeri est: *παρ' Ὠκεανοῖο ῥοάων* ⟨*Γ*. 5⟩. Cf. etiam: a. VI. 362. VII. 4. 225. VIII. 274. X. 115. 488. 900. XII. 102 et al.

γ) loci qui dicuntur ‚Homerici' esse,

iam minorem similitudinis gradum praebent. Uno loco (a. XI. 751), ubi S. annotat: ‚Homerica comparatio' (cf. Macr. V. 13. 28 = *M*. 200 sqq.). Vergilius ex Homeri de aquila narratione sibi finxit comparationem; altero (a. XI. 860. S.: ‚Homerica est ista descriptio', cf. Macr. V. 3. 2. = *Δ*. 123) ad Homeri exemplar descripsit Opim arcu et sagitta usam. Etiam DS ad comparationem a. VIII. 589 dicit: ‚Homericum est' (*X*. 317); aliis locis hac voce saepius vel sermo vel historia Homerica notatur. — Verba quae sunt

δ) ‚hoc tractum est de Homero'

semper pertinent ad historiam aliquam, quam Vergilius mutatis mutandis ad carmen suum transtulit: a. II. 604 Venus Aeneae nube ab oculis mortalibus detracta ostendit deos; S. ‚de Homero tractum, qui inducit Minervam praestantem ista Diomedi' ⟨*E*. 127⟩. — a. IV. 496. Didoni gladius ab Aenea relictus exitio est; S.: ‚hoc autem tractum est de Homero, qui dicit gladium Aiaci datum ab Hectore

et Hectori ab Aiace balteum, quae eis exitio fuerunt' equs. (cf. S. ad v. 647). — a. VI. 468 Dido effugit Aeneam in inferis; S: ,tractum autem est hoc de Homero, qui inducit Aiacis umbram Ulixis colloquia fugientem, quod ei fuerat causa mortis' (cf. Macr. V. 2. 14). Similiter S. ad a. VI. 650 et 893. — a. VII. 280 de equis a Latino Aeneae dono datis. S: ,tractum autem est de Homero ⟨*E.* 265⟩, qui tales equos habuisse inducit Anchisen'.

Locis minoribus inspectis intellegimus interpretes recte quidem observavisse illos locos aliquo modo ad Homeri exemplar factos esse; tamen permultis locis immodestis verbis hoc notant, cum quae Vergilius mutaverit, neglegant. Imprimis quod dicunt ,verbum ad verbum' Vergilium locum transtulisse vel similiter, saepe longissime a vero abest. Etiam apparet similitudinem inter Vergili locum et exemplar maximam esse, ubi scholiastes locum ,Homeri' esse dicit, minorem, ubi ,Homericum', minimam ubi ,ex Homero tractum' esse annotat.

c. de locis quibusdam amplioribus.

In librorum vel locorum ampliorum exemplaribus statuendis quam non accurate rem significent scholia, primo aspectu intelleges.

1) Primum enim quod Servius dicit libri V partem maiorem ex Homero sumptam esse[16]), Vergilium alias ut dicam leges poeticas secutum nova inde certamina sibi finxisse et omnibus notum et nuper Heinzii quaestione[17]) subtilius demonstratum est.

2) Ac ne sexti quidem libri ,ex Homero partem maiorem esse' — ut Servius notat ad v. 1 — iam agnosces

---

16) S. ad l. V. 1: cuius <libri> pars maior ex Homero sumpta est: nam omnia quae hic commemorat, exhibentur circa cumulum Patrocli <Ψ> nisi quod illic curule exercetur, hic navale certamen. cf. S et schol. Veron. ad v. 517.

17) Heinze, Vergils epische Technik p. 144 sqq. Cf. Leo, Die röm. Literatur (Kultur der Gegenwart I, VIII. p. 367. 1907).

Nordenii commentarii argumento (p. 107 sq.) comparato cum Homeri ‚Necyia'. Tamen in multis rebus Vergilium Homeri narrationem sibi exemplar proposuisse apud omnes constat.

3) De l. IX dicit Servius ad v. 1: ‚Sane formatus est iste liber ad illud Homeri ⟨*K*⟩, ubi dicit per noctem egressos esse Diomeden et Ulixen, cum capto Dolone castra penetrarunt: nam partem maximam et oeconomiae et negotiorum exinde habet'. Cf. Macrob. V. 2. 15 ‚speculationem nocturnam', praeterea V. 9. 5—8 (vv. 302—328) et V. 13. 24. (v. 181).

— Pertinent Servi verba ad vv. 168—502. Homeri l. *K.* divisus est in partes tres, quarum prima (1—298) continetur Achivorum consilium, altera (299—337) Troianorum consilium — quibus consiliis utrique speculatores emittere constituunt —, tertia (338—579) ipsa exploratio: Dolone enim capto et examinato et occiso in Thracum castra ingressi Diomedes duodecim occidit viros regemque ipsum, Ulixes abigit equos; deinde Minerva incitante Dolonis arma praedati e castris equis evehuntur.

Aliter in Vergili l. IX. Nisus et Euryalus portarum custodes consilium capiunt evadendi per castra hostium rerumque nuntium ad Aenean perferendi. Aperiunt propositum suum ducibus forte ad consilium congressis. Quod fictum est ad Achivorum consilium (cf. v. 224 ∾ *K.* 1 sq.); neque Ascani promissum instructiove proficiscentium exemplar non habent in Homeri narratione. Etiam in caedis descriptione (314—366) Homerum sequitur Vergilius atque similiter describit castra hostium dormientium (cf. Macrob. V. 9. 8); sed multo magis variare studet, quod legerat, et verba Nisi aliena sunt ab Ulixis verbis. Nisus multos hostes occidit — ut Diomedes, atque similiter comparatur cum leone per ‚ovilia turbante'. Ut denique Minerva apud Homerum finem facit caedendi, sic Nisus admonet, ut iter pergant; effugiunt armis raptis. Sed omnia quae sequuntur apud Vergilium (vv. 367—502) pulcherrime narrata, non scripta sunt ad exemplum libri *K*: nec tristis amicorum mors nec poetae praedicatio nec matris lamentatio. Ergo

quod de toto libro dicit Servius, revera ad parvam partem (ca. 143 vv.) pertinet. Sed hic ut aliis locis observamus, quomodo Vergilius, quamquam narrationis origo ad Homeri carmen reducenda est, eventum novum fingat: nam Ulixes et Diomedes quod volunt assequuntur, Euryalus autem et Nisus amicitia coniuncti pereunt.

4) Postremum inspiciamus locum libri XII: ubi ad v. 116. S.: ,totus hic de foederibus locus de Homero translatus est, ubi Alexander *Paris* cum Menelao singulari est certamine dimicaturus' ⟨Γ. 302 sqq.⟩. Cf. S. ad v. 170. 212. DS ad v. 176.

In Homeri carmine sacrificio parato Agamemno per solem, qui omnia videat et audiat, per flumina terramque et deos Orci iurat Alexandro victore Achivos domum redituros Helenamque et omnia bona relicturos esse; Menelao autem victore Helenam omniaque bona tradi tributumque Achivis dari poposcit. Deinde sacrificio haedorum facto vinoque libato postquam Priamus se recepit, Hector et Ulixes locum certaminis dimensi sortiuntur.

Apud Vergilium sue et bidenti immolatis prior iurat Aeneas item atque Agamemno (Γ. 276 sqq.) per solem et terram et fontes fluviosque (praeterea per Iovem Iunonem Martem). Necesse est condiciones foederis alias esse apud Homerum, alias apud Vergilium, sed similiter formatae sunt. Deinde Latinus testibus invocatis terra, mari, sideribus, Apolline et Diana, Iano, Orco foedus confirmat et iusiurandum facit per sceptrum suum.

De imitatione non potest dubitari. Cf. DS ad v. 176: ,sane iuxta Homericum foedus hic inducit fieri: nam ut ibi Priamus, ita hic Latinus; ut hic Aeneas, ita ibi Agamemnon'. Cf. etiam S. ad v. 212.: ,Turnum non inducit iurantem . . . et imitatus est Homerum, qui post iusiurandum Menelai Alexandrum quasi fervidum et adulescentem inducit exclusum et Priamum adhibitum ad foederis confirmationem'.

— Quae recte observata demonstrant, quanto studio illam imitationem persecuti sint veteres interpretes. Sed

Vergilius haec omnia et iura iuranda et sacrificia[18]) ad res Romanas transtulit; praeterea cum non haberet exemplar, quo uteretur ad Priami iusiurandum formandum, adhibuit artificiose Homeri *Α*. 234 sqq., de quo loco supra p. 14 sq. egimus.

Hos locos ampliores inspexisse satis erit ad intellegendum, quam ineptis verbis nec modum tenentibus scholia id, quod recte observatum proprie ad inventionem tantum historiae pertinet, exprimant, ut nescientem vel testimoniis egentem facile in errorem inducant. Etiam quod de toto libro dicitur semper ad partem tantum pertinet, uno loco ad partem exiguam.

2. De Apollonio Rhodio.

Quinque locis Apolloni imitationem notat Servius:

1) a. II. 490. amplexaeque tenent postes atque oscula figunt. S: ‚Apollonii locus, in quo inducitur Medea † patrem salutasse et domum relinquens' (Thilo corr.: Medea postes osculata esse Aeetae domum relinquens) cf. Arg. IV. 26: *κύσσε δ' ἑόν τε λέχος καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν σταθμοὺς καὶ τοίχων ἐπαφήσατο.*

— Sane Vergili Troades similiter dolorem exprimunt atque Apolloni Medea; tamen non ad ipsum Apollonium, sed ad Ennium redire illa verba infra p. 65 demonstrabimus. Vide autem, quid valeat illud: ‚Apolloni locus'.

2) De l. IV. notatur: S. ad v. 1.: ‚Apollonius Argonautica scripsit et in tertio inducit amantem Medeam; inde totus hic liber translatus est'. Cf. Macrob. V. 17. 4: ‚⟨Maro⟩ .. non de unius racemis vindemiam sibi fecit .. ut de Argonauticorum quarto, quorum scriptor est Apollonius, librum Aeneidos suae quartum paene formaverit ad Didonem vel Aenean amatoriam incontinentiam Medeae circa Iasonem transferendo' eqs. — Quod Servius Apolloni librum III, Macrobius IV Vergili exemplar no-

---

18) Serv. ad v. 170 saetigerae .. & suis] more Romano ... nam Homerus aliud genus sacrificii commemoravit. DS: sane ovem Graeco more foederi adhibuit.

minat, ita solvitur, ut Macrobium aut erravisse (fortasse numerum IV falso ex Vergiliano transtulit) aut praecipue cogitavisse ponamus de conubio, quippe quod describatur in Argonauticorum libro IV [19]).

Comparatis carminibus haec sunt quibus utriusque narrationes inter se consentiant: 1. per Cupidinem amor feminarum incitatur; 2. Iuno agit cum Venere; 3. ut Medea cum Chalciopa ita Dido cum Anna de amore colloquitur; 4. amor feminarum similibus indiciis proditur; 5. conubium fit in antro; 6. furor Didonis in nonnullis rebus ad Medeae exemplar describitur. Quae attulimus sub num. 1. et 2., iam in primo Aeneidos libro narrata sunt. Singulas res tractavit Heinzius (Vergils ep. Technik, v. indicem s. v. Apollonius) qui (p. 123 sq.) Annam non Chalciopae comparandam esse, sed partes amicae intimae quasi e scaenica poesi accepisse mihi persuasit. Deinde alius est pudor Medeae virginis, alius Didonis viduae, et quod amoris indicia apud utramque similia sunt — ut Dido ‚in voce resistit‘ (Argon. III. 686) neque quicquam videt vel audit nisi amatorem absentem (Arg. III. 453), — ea omnia non tam ex Apolloni carmine quam omnino ex toto illius aetatis genere litterarum orta esse cum Heinzio consentio. Sed Apolloniani carminis ‚conubium‘ quin Vergilius imitari voluerit, dubium non est. Tamen ipsam rem vix maiore discrepantia describi posse concedes. Etiam Apolloniano ‚conubio‘ amantium coniunctio confirmatur in reliquum tempus, Vergiliano nova ‚peripetia‘ narrationis efficitur. Postremo Vergilius in Didonis miseriis describendis hic illic sequi videtur Apollonium (cf. Heinze, ll. p. 130 sqq.). Ut hoc afferam: quod Didonem vitae taedet, exemplum habet in Medea, quae iam veneno prompto tamen non de vita decedere constituit (Arg. III. 771 sqq. 802). Furor et ulciscendi cupiditas comparari possunt cum Medea furente (Arg. IV. 391.). Huc accedit,

---

19) Tamen omni iure miratur H. de la ville de Mirmont (Apoll. de Rhodes et Virgile. Paris 1894 p. 22 ann.), quod illa discrepantia adhuc nusquam notata est.

quod Vergilius sine dubio artis magicae nonnulla transtulit de Medea ad magam suam. (Arg. III. 532).

His inspectis rebus antiquos interpretes veri aliquid observavisse negari non potest. Sed Vergilius tam paucis rebus Apollonium secutus est atque tanta arte quasi novam finxit figuram Didonis amantis, ut quamquam singularia quaedam congruunt, tamen universa sint dissimilia. Ergo et Servi et Macrobi testimonia rem verbis designant nimis immoderatis, cum Vergili librum totum paene formatum ad Arg. l. IV vel inde translatum esse dicant.

3) a. V. 426. S: ‚est autem hic totus locus de Apollonio ⟨Arg. II. 1 sqq.⟩ translatus‘ (al. Macrobius V. 7. 5. affert Hom. Ψ. 685, cf. S. ad. V. 1. p. 17).

— Servi verba cum ad eum versum adscripta sint, a quo ipsum certamen incipit, ad totum certamen pugilum pertinere videntur. Atque Vergilius, quamquam ‚peripetia‘ inducta eventum mutat, tamen in ea re Apollonium sequitur, quod alterum adversariorum facit ictu deerrante concidentem; etiam ipse ille versus, ad quem Servius annotationem facit, Apolloni versum videtur imitari:

426. constitit in digitos extemplo arrectus uterque. Ap. II. 90. *ἔνθα δ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς βούτυπος οἷα πόδεσσι, τανύσσατο.*

His duabus rebus interpretes adducti videntur esse, ut ‚totum locum de Apollonio translatum esse‘ censerent. Nam in reliquis vix simultas quaequam invenitur. Ille enim, postquam Pollux et Amycus manibus sublatis congressi sunt, tres describit pugilatus partes: primo 67—78 Amycus persequitur Pollucem (ut maris fluctus navem); deinde (79—85) alterius in alterum pugna sonitusque inde ortus comparantur cum opere lignarii, qui ligna mallea tundit et clavis sonitum efficit; tertio (86—97) pausa facta postquam ut tauri de vacca certaturi iterum congressi sunt, Amycus ictu deerrante corruit; tum a Polluce oppressus et supra aurem ictus moritur. Vergilius multo magis studuit, ut ipsam pugilandi artem perspicue describeret. Videmus enim Daretam velociorem frustra irruentem in Entellum graviorem et stabiliorem; audimus

ictus cadentes et pectora anhelantia. Denique quomodo gesta sit res, illustrat poeta, cum Entellum ab adversario oppressum comparet cum urbe vel arce ab hostibus oppugnata.

4) S. ad a. VIII. 19. ‚curarum fluctuat aestu: his verbis praeoccupat comparationem, quae est Apollonii verbum ad verbum‘ (v. 22—25 = Arg. III 754—759 ut Medeae ita Aeneae animus sollicitus comparatur cum lumine solis, quod summa aqua mobili ad tectum reiectum huc illuc iactatur). Apollonius comparationem ita instituit, ut dicat, cum quis in aedibus aquam in lebetem vel aliud vas novam effundat sub solis radiis, lumen solis huc illuc per aedes iactari. Quam comparationem sane Vergilius assumpsit, sed multum abest, ut ‚verbum ad verbum‘ Apolloniana verterit: neque enim indicat, qui fiat, ut aqua moveatur, neque, ubi res geratur, dicit. Sed ipsius luminis trementis descriptionem omni modo exornare studet: addit enim Lunae lumen reiectum — id quod magis est poetice excogitatum quam in natura observatum[20]) — atque vario modo describit lumen per laquearia errans. Adeo igitur non accurate (i. e. ‚ad verbum‘) Apolloni versus vertit, ut vix Vergilianae comporationis causam plane intellegat, quin Apollonianam noverit.

5) a. XII. 749 sqq. (Aeneas Turnum persequens comparatur cum cane cervum inclusum assequi frustra conante).

S. ad v. 749. ‚comparatio Apollonii‘ ⟨Arg. II. 278⟩ et ad v. 754. ‚hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio‘ ⟨ib. v. 280 sq.⟩.

— Apolloni comparatio haec est: ut interdum canes capreas vel cervos investigantes currunt et paululum remoti frustra dentes collidunt, sic Zetes et Calais admodum prope imminentes Harpyias extremis manibus frustra prensabant. Qua comparatione Vergilium usum esse recte observatum est, quamquam exornandi et augendi studiosus

20) S. ad v. 23. ‚Negant omnes physici lumen lunae aliud ex se reddere et vituperatur hoc dicto Vergilius‘ eqs.

cervum, cui instat canis, flumine fecit inclusum vel plagarum pennis perterritum et multis modis effugere conantem. Etiam quod de canis vana capiendi cupiditate dicit:

,haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
,increpuit malis morsuque elusus inani est'.

hoc certe ad Apolloni exemplar fictum est:

,τυτθὸν δὲ τιταινόμενοι μετόπισθεν
,ἄκρῃς ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας'.

Sed illos versus de his ,verbum ad verbum' translatos esse falsum est.

Locis igitur Apollonianis accuratius inspectis confirmatur id quod iam de Homericis intelleximus: interpretes enim, quamquam omni iure Apolloni exemplar laudant, tamen de ipsa imitatione verbis utuntur, quibus Vergilius ut multo magis obnoxius esse exemplari videatur, efficitur quam verum esse res docet.

3. De Theocrito, Hesiodo, Arato.

Ad **Theocriti** [21]) exemplar et versus singulares (e. II. 21. 25. 63) et locum (V. 32) et totas eclogas vel partes eclogarum (VII. VIII. IX. X) factos esse Servius dicit.

1) In e. II. uno loco Vergili versus comparatur cum exemplari Theocriteo:

v. 22 lac mihi non aestate novum, non frigore defit.

S.: ,multo melius quam Theocritus; ille enim ait: τυρὸς δ'οὐ λείπει μ'οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ; sed caseus servari potest nec mirum est, si quovis tempore quis habeat caseum; hoc vero laudabile est, si quis habeat lac novum, id est colustrum'.

Altero loco excusandi causa Theocriti exemplar laudatur:

v. 25. nuper me in litore vidi

21) Utiles mihi fuerunt P. Jahnii collectiones: ,Die Art der Abhängigkeit Vergils von Theocrit'. Progr. d. Köllnischen Gymnasiums. Berlin 1897—1899.

cum placidum ventis staret mare.

S.: ‚negatur hoc per rerum naturam posse fieri, sed Theocritum secutus est, qui hoc dicit de Cyclope' (id. VI. 34) Tertio loco Servius notat: ‚Theocriti sunt isti versus' ad v. 63. torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam;
florentem cytisum sequitur lasciva capella;
te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Sed Theocritus (X. 30) dicit: ‚capella persequitur cytisum, lupus capellam, grus aratrum, ego te desidero'. Unde partem quidem accepit Vergilius; sed ordine mutato unoque membro anteposito, quod cum duobus aliis conveniret, artificiosum ordinem instituit, in quo deinceps alter alterum persequitur. Ergo non iam sunt Theocriti versus, sed Vergiliani.

2) Similiter res se habet alio loco (e. V. 32 sqq.):
‚Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
tu decus omne tuis'.

S.: ‚locus Theocriti est'. ⟨id. VIII. 79⟩. Sed Vergilius partim quidem res transtulit (ut gregibus tauri ∾ VIII. 80. *τᾷ βοΐ δ' ἁ μόσχος*), partim ex alio loco Theocriteo attraxit (segetes ut pinguibus arvis ∾ XVIII. 29. *πιείρᾳ μέγα λᾷον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ*) partim mutavit et auxit; nam cum Theocritus dixisset VIII. 79. *τᾷ δρυὶ ταὶ βάλανοι κόσμος*, Vergilius ponit: ‚vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae', quae sententia, quantum scio, non e Theocriti idylliis orta est.

Iam inspiciamus eas eclogas, quas totas vel ex parte Theocriti esse Servius dicit.

3) S. ad. e. VII. 1: ‚ecloga haec paene tota Theocriti est: nam et ipsam transtulit et multa ad eam de aliis congessit'. — Verba, quae sunt ‚ipsam transtulit' spectant ad Theocrit. id. VIII, ubi Daphnis et Menalcas similiter cantibus certant. Tamen ea re discrepat Vergili carmen a Theocriteo, quod hic inducit pastores de praemio certantes, ille tertium pastorem facit de certamine referentem; qua re efficitur, ut nova appareat forma eclogae. Initium (vv. 1—20) continet sententias ex aliis eclogis liberrime

translatas; eadem res est in primis XXIV versibus ipsius certaminis. Deinde vv. 45—60, quamquam ad exemplar id. VIII. 33—48 facti sunt, tamen et ipsi in sensu valde discrepant et plerumque singulis sententiis additis aucti sunt, quae omnino non Theocriti sunt (cf. vv. 46. 48. 50. 52. 57 sq. 60).

Etiam cum versibus 61—64 vix locus ullus Theocriti comparari potest; atque vv. 65—68, quamquam in sensu nonnullarum rerum consentire videntur cum id. XVIII 29 sqq., tamen sic inter se compositi et ad antithesin versuum antecedentium excogitati exemplar non habent in Theocriti carminibus. Ultimus versus (70) perspicue versum Th. VIII. 92 imitatus nove formatum reddit. Omnino Vergili ecloga ea re aliena est a Theocritea atque aliquid novi huic certandi modo adicit, quod sententiis a priore cantatore prolatis singulae alterius sententiae accurate respondent ita, ut hic illum studeat superare: quo studio cum adducatur, ut cantet minus artificiose et moderate, devictus abit.

4) De ecloga VIII dicit Servius (ad v. 1): ‚apud Theocritum est una ecloga, quae appellatur *φαρμακεύτρια*, in qua inducitur mulier quaedam sacris quibusdam pervertens mentem amatoris, a quo spernebatur: quam Vergilius transtulit ad huius eclogae ultimam partem‘. — Vergilius Theocriti eclogam II adhibuit ad cantum alterius pastoris componendum; quo cantu puellam Thessalicam facit Daphnin infidum amatorem arte magica ad se attrahentem. Ordinem Theocritei carminis plerumque servat; versum intercalarem ita mutat, ut iyngis loco carmina faciat amatorem attrahentia. Ceterum singularia afferre — Jahnii (1899. p. 16.) collectionem secuto — mihi liceat.

64—68. Effer a q u a m Th. II. 1—3 *φέρε δάφνας* et *φίλτρα*
et molli cinge a l t a r i a vitta | *στέψον τὰν κ ε λ έ β α ν οἰὸς ἀωτῷ φοινικέῳ.*
[verbenasque adole pinguis et mascula tura]
coniugis et magicis sanos avertere sacris experiar sensus | *ὡς τὸν ἐμὸν βαρυνεῦντα φίλον καταθύσομαι ἄνδρα.*
[nihil hic nisi carmina desunt].

Adhuc ergo mulieres similiter agunt, sed diversas res.

69 sq. Quod deinde carmina in Lunam aliquid valere dicit et Circes commemorationem facit Ulixis socios mutantis, haec inde originem ducunt, quod apud Theocritum v. 10. Luna invocatur, ut intersit facto, et v. 14. Hecate rogatur, ut *φίλτρα* sua non minus valida facienda curet quam Circes.

[v. 71.] non e Theocriti carmine ortus.

vv. 73—75 nulla re congruunt cum Theocriti versibus nisi quod numerus ternarius affertur.

77 sq. Apud Theocritum serva hordeum spargens dicere iubetur: *τὰ Δέλφιδος ὄστια πάσσω.* Quod mutatum Vergilius ita reddit, ut serva tres ternorum colorum nodos nectens loqui iubeatur: ‚Veneris vincula necto'.

v. 80 sq. [limus ut hic durescit]
et haec ut cera liquescit *ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ τάκω*
[uno eodemque igni]
sic nostro Daphnis amore *ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος Δέλφις.*

v. 82 sparge molam cf. Th. 18 *ἄλφιτα*
[et fragilis incende bitumine laurus].

v. 83 Daphnis me malus urit] ego hanc in Daphnide laurum	v. 23. *Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν. ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν αἴθω.*

v. 85—89 cf. Th. II. 48 sqq. Sed Vergilius, qui hic Latinos poetas (Lucretium et Varium) sequitur, nihil debere videtur Theocrito nisi comparationis sensum.

v. 91. has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit. aliter Th. 53. *τοῦτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις.*

92 sq. [pignora cara sui]. quae nunc ego limine in ipso terra tibi mando [debent haec pignora Daphnim].

aliter Th. 54: *ὡγὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.*

[vv. 95—99] non e Theocriti carmine.

101—103. non tam ad exemplar versuum Th. II. 59 quam XXIV. 91.

105—109. E Theocriti carmine nihil nisi haec:

105 corripuit sponte sua | Th. 25. *κὴξαπίνας ἅφθη.*

107. et Hylas[22]) in limine latrat | Th. 35. *ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται.*

Ergo paucos versus et eos insignes cum studio imitatus est Vergilius: sed paene omnia reddit aliquo modo mutata; multa etiam adicit, quae apud Theocritum omnino non inveniuntur, aut uno verbo quod ei in memoria remansit, novam sententiam ut fingat, adducitur. Unde apparet, quo sensu Servi ‚transtulit' accipiendum sit. Quae de duabus reliquis eclogis notat Servius:

5) (de ecl. IX ad. v. 1) ‚haec ecloga continuum non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit' et

6) (de ecl. X. ad v. 9): . . ‚est quaedam Theocriti ecloga, in qua suos amores deflere Daphnis inducitur ⟨ecl. I.⟩ . . . huius omnem ordinem ad hanc eclogam transtulit', — ea recte esse observata facile tibi persuadebis.

Hesiodi[23]), quem Macrobius (V. 2. 4) et universa scholia saepe[24]) dicunt exemplar fuisse Vergilio in Georgicis, imitationem singillatim tamen tribus tantum locis Servius notat.

g. I. 175: ‚totus hic locus de aratro Hesiodi est'. ⟨Op. 423 sqq.⟩. — Hesiodus praecipit, ut buris (*γύη*) ilicea ubique quaeratur, ut quae cum dentalibus (*ἔλυμα*) et temone (*ἱστοβοή*) coniuncta ad arandum maxime sit idonea. Vergilius easdem quidem affert aratri partes — id quod ex ipsa rei natura sequitur —, sed alia vel nova de iis profert: burim enim dicit ex ulmo flecti, temonem octo pedum amplitudinem habere, dentalia duplici dorso aptari atque illa ligna ut in fumo suspendantur suadet (id quod de gubernaculo Hesiodus praeceperat v. 629). Ergo dubium est, num revera Vergilius ad Hesiodi exemplar sua finxerit; unde apparet, quanta audacia totus locus Hesiodi esse dicatur.

---

22) Cf. a. XII 749 sqq. ‚Umber'.

23) Cf. H. Morsch, De Graecis auctoribus in Georgicis a Vergilio expressis. Halis 1878, p. 31.

24) S. g. I. praef.; DS g. I. 176; Brevis Expositio praef. ad georg.; Phyl. I. et II. 4. p. 74. 2 Thilo; it. Probi comm.

Taceo de duobus aliis locis Hesiodeis (g. I. 245 et 276), quos notat Servius; sed hoc moneam — qua de re cum Morschio consentio — errare antiquos interpretes, cum universa Georgica ad Hesiodi exemplar a poeta facta esse censeant. Nam cum perpauci loci inveniantur, quibus Vergilius Hesiodum imitatus sit, de Hesiodo testimonia omnino fidem non habere apparet. Videntur enim interpretes, cum unum novissent Hesiodum rerum rusticarum poetam atque observarent illum hic illic a Vergilio laudari, adducti esse, ut omnino Hesiodeum carmen Vergili esse exemplar censerent.

De **Arato** legimus scriptum apud Servium: (ad g. I 354): ,etiam ex hoc loco prognostica sunt translata de Arato, pauca de multis' (cf. ad 366. 432; Brevis Expositio 396). et apud Macrobium (V. 2. 4): ,Dicturumne me putatis ea, quae vulgo nota sunt, . . quod in ipsis Georgicis tempestatis serenitatisque signa de Arati Phaenomenis traxerit'. — Quomodo Vergilius Arati ,Phaenomenis' usus sit (g. I. 351—460), Leo (Herm. XXXVII. Vergil und die Ciris, p. 50 sqq.) demonstravit: primum enim totam materiam non digerit ad ordinem Arati: 1) signa lunae 2) solis 3) siderum ⟨778—908⟩ 4) ὑπέργεια: signa venti pluviae serenitatis tempestatis ⟨908—1111⟩; sed prooemio facto (351—355) tractat

1) signa tempestatis (356—392 ∾ Arat. 909—987)
 a) de ventis b) de pluviis
2) signa serenitatis (393—423 ∾ Arat. 987—1012)
 a) negativa b) positiva

Deinde brevi prooemio de luna soleque facto (424—426 ∾ Arat. 773 sqq.)

3) signa lunae (427—437 ∾ Arat. 778—818)
4) signa solis (438—460 ∾ Arat. 819—891).

Permutavit igitur inter se Arati duas partes principales, quae sunt: 1) signa e caelo venientia et 2) signa e terra marique venientia, fortasse ut hac permutatione facta transitio bene fiat a solis signis ad precationem pro

Caesare ad finem positam, allato illo solis omine, quo Juli Caesaris mors praedicta erat.

Deinde e tota materia ab Arato allata suo arbitrio alia delegit, alia omisit eo consilio, ut et carminis sui partes satis aequae essent amplitudinis:

Prooemium 5 vv.

de ventis	14 vv.	de luna	14 vv. (Arat.: 85 vv.!)
de pluviis	23 vv.	de sole	24 vv.
de serenitate	31 vv.	de omine	34 vv.

Precatio deorum 18 vv.

et ut res afferret, quae redderent carmen varium et res rusticas pulchre describens.

Tertium signa singularia libere et digerit et describit Vergilius neque raro etiam sensum mutat (402. 432. 445). Atque tantum abest, ut imitetur Arati genus dicendi, ut omnia suo modo proferre studeat: evitat sententias condicionales quas saepe apud Aratum legimus, atque omni modo periodorum structuram variat. Magna cum arte signa instituit, ut rationem habeant ad vitam agricolarum (360. 388 sqq. 404. 420. 448. 456) nec minus artificiose verborum sono hexametrique numero quod vult describere auribus et oculis legentium dat percipiendum. (ventus surgens 356—359, hirundo [25]) 377, ranarum querela 378, noctua 402 sq. grando 449). Interdum etiam imagine aliqua pulchre describenda adeo est occupatus, ut prognosticum se afferre oblivisci videatur (stella 365. cornix 388. Nisus et Scylla 404). Postremo tribus versibus ex Homeri Parthenique carminibus accurate translatis carmini Latino ne splendor quidam Graecus desit, spectat.

4. De Eratosthene et Pindaro.

Restant duo poetae Eratoshenes et Pindarus, quorum versus licet comparare cum Vergili imitatione. Eratosthenis [26]) enim imitationem notat Probi qui dicitur

25) De poetis Latinis v. infra p. 83 sq.

26) Cf. Morsch, l. l. p. 11.

commentarius ad g. I. 233. p. 364. 1. Th.: ‚hanc tamen universam disputationem certum est Vergilium transtulisse ab Eratosthene, cuius liber est hexametris versibus scriptus, qui Hermes inscribitur; cuius disputationis tale principium est: *Πέντε δέ οἱ ζῶναι περιαρέες ἐσπείρηντο, αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κυανότεραι κυάνοιο* et cetera ex ipso libro requirenda‘. Qui locus Eratosthenis ut totus ad nos traderetur, casu evenit (cf. Hiller p. 56 frg. XIX et Maass, Arati commentarii (Achilles) p. 63). Comparatis utriusque versibus apparet Vergilium fere eodem modo imitatum esse Eratosthenem hoc loco atque Aratum in sequentibus: describit enim similiter zonas atque Eratosthenes, sed in rebus et digerendis et diiudicandis non sequitur poetam Graecum; ipse etiam zonas intellegi vult de illis zonis, quibus una terra cum caelo dividitur, Eratosthenes solum de terrae zonis loquitur. In verbis quibusdam similitudo apparet:

v. 233 quinque . . zonae ∼ *πέντε ζῶναι* (‚quinque‘ et *πέντε* uterque in versus initio habet).

234. quarum una corusco
semper sole rubens et torrida semper ab igni.
ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἐκ πυρὸς αἰὲν[27]) *ἐρυθρή.*

236. caerulea . . atris ∼ *αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο.* — Ceterum item atque Arati ‚Phaenomena‘ longam Eratosthenis disputationem brevissimam reddidit atque omnino suo dicendi generi adaptatam. (De Varrone Atacino v. p. 85).

De Pindaro quae Macrobius (V. 17. 8) profert, ea e Gelli ‚Noctibus Atticis‘ (XVII. 10 p. 208 H.) exscripta esse iam supra diximus. Sed inspiciamus quomodo Macrobius ea instituerit atque interpolaverit. Gellius enim (vel eius auctor) id spectat, ut demonstret Vergili de Aetna locum maxime esse in iis, qui ‚videantur retractari et corrigi debuisse‘, quia Pindari carmen Vergilius aemulaturus ‚eiusmodi sententias et verba molitus sit, ut Pindaro quoque ipso . . . insolentior . . tumidiorque sit‘. Ergo totius

---

27) *αἰὲν* legit Vergilius; *οἷον* vulg.

disputationis consilium proprie alienum est a Macrobi proposito, ut qui Vergilium semper alios poetas secutum esse velit ostendere. Macrobius, cui apta erat narrationis forma iam a Gellio in colloquii modum redacta[28]), cum exscriberet, nonnulla praetermisit (imprimis § 16 Gelli, praeterea verba quaedam, in quibus recte saepius Gelli ‚inquit') et recte posuit ‚vester' pro Gelli ‚nostro' (§ 14). Sed quod gravissimum est, ipse anteposuit, ut conecteret hunc de Pindaro locum cum loco de Apollonio antecedente atque magis redderet convenientem cum proposito suo, haec verba (§ 7): ‚videamus, utrum attigerit et Pindarum .... unum vero locum, quem temptavit ex integro paene transcribere, volo communicare vobiscum'. Ergo Macrobius ipse quasi falso titulo praetento, quod exscripserat, operi suo inseruit; unde sequitur, ut Pindarus omnino non in exemplarium numero habendus sit. Neque quisquam, puto, comparatis utriusque poetae locis dubitabit, quin Vergilius Pindari versibus exprimendis omnino non operam dederit. Tamen delectabat homines doctos comparare Vergilianam describendi artem cum arte Pindarica; quo studio facile adducebantur, ut revera poetam Latinum voluisse imitari versus Graecos putarent.

5. De Graecis exemplaribus reliquis.

Quoniam quid valeant Macrobi Servique verba, examinavimus locis claris et perspicuis, nunc de reliquis licebit iudicare, quorum exemplaria Graeca perierunt.

Ac primum quidem commentarius auctus dicit ad e. VI. 13: ‚sane hoc de Sileno non dicitur fictum a Vergilio, sed a Theopompo translatum' eqs. cf. DS ad v. 26 ‚haec autem omnia de Sileno a Theopompo in eo libro qui Thaumasia appellatur, conscripta sunt. Ipse ad commendationem addidit. Is enim apprehensum Silenum a Midae regis pastoribus dicit crapula madentem et ex ea soporatum; illos dolo aggressos dormientem vinxisse; postea vinculis sponte

28) Transferre licuit, ut hoc afferam, § 9: ‚atque uti vosmet ipsos eius, quod dico, arbitros faciam, carmen Pindari .. dicam'.

liberatum de rebus naturalibus et antiquis Midae interroganti disputavisse'. —

Dicit igitur DS, Vergilium Theopompi illam de Mida fabulam sibi posuisse exemplar, cum induceret Silenum a pueris sertis vinctum et de mundi ortu canentem. Sed non satis probabile est Vergilium ipsius Theopompi ,Thaumasia' attraxisse; talia iam a poetis prioribus composita ad Vergilium venisse credam[29]). Hoc quidem constat apud Vergilium fabula illa neglecta paene omnia poetice ficta atque nove formata esse.

Deinde Pisandri cuiusdam poetae opus laudatur a Macrobio (V. 2. 4) Aeneidos libri II exemplar. Hanc Macrobi notationem videri interpolatam esse nec deberi fideli illi auctori, quem in maiore parte libri V Macrobius exscripsit, supra demonstrare conati sumus (v. p. 7). Sed ipsum locum accuratius inspiciamus: ,Dicturumne me putatis . . . quod eversionem Troiae . . a Pisandro . . ad verbum paene transcripserit, qui eminet opere . . ., in quo opere . . interitus Troiae . . relatus est, quae Maro . . fideliter interpretando fabricatus sibi est Iliacae urbis ruinam'. Ergo bis, qualis sit Vergili imitatio, accipimus: priore loco Vergilium Pisandri eversionem ,ad verbum paene transcripsisse' altero ,fideliter interpretatum esse' dicitur. Sed bis hoc expressum invenisse Macrobium apud auctorem suum — atque id verbis non idem valentibus — non probabile est; atque cum illo altero loco, ubi de Pindaro agitur, Macrobium ex sua libidine addidisse constet (v. p. 32) verba quae sunt: ,unum vero locum, quem temptavit ex integro paene transcribere, volo communicare vobiscum', dubitari non potest, quin etiam hoc loco priora verba similia quibus ,ad verbum paene transcripsisse' Vergilius dicitur, e Macrobi ingenio orta sint neque ita quicquam valeant. Invenisse igitur videtur Macrobius hoc fere notatum: ,Pisandrus inter Graecos poetas eminet opere . .; in quo opere . . interitus quoque Troiae . . relatus est; quae Maro fideliter interpretando fabricatus sibi est Iliacae

29) Skutsch, Aus Vergils Frühzeit p. 29. Leo Herm. 37. 23.

urbis ruinam'[30]). De his solis verbis iudicium nobis est faciendum.

De Pisandro poeta viri docti valde dissentiunt: duos enim novimus Pisandros, alterum Camirensem sive Rhodium, qui septimo a. Chr. saeculo vitam degens carmine epico, cui inscribitur *Ἡράκλεια*, gloriam sibi peperit. Alter est Larandensis tantum per Suidam notus, qui sub Alexandro Severo scripsit *ἱστορίαν ποικίλην δι' ἐπῶν, ἣν ἐπιγράφει Ἡρωικῶν Θεογαμιῶν* . . (Suid. Bernh. II. 2. p. 255). — Itaque Heyne (excurs. I. ad Verg. a. II. p. 394 sqq.) censet Macrobium in errore versari, cum duos Pisandros confuderit; putat enim legisse Macrobium (rectius Macrobi auctorem) Pisandri minoris eversionem Troiae, quae maxime ad exemplar Aeneidos composita esset; sed cum putaret auctorem esse illum Pisandrum praeclarum et veterem, factum esse, ut Vergilium eius esse imitatorem arbitraretur. Heynium cum aliis secuti sunt Bernhardy (Griech. Litt. II. 211) et Kuschel (Quell. v. Verg. Aen. Bresl. 1858). — Contra Welcker (Der epische Cyclus I. p. 91 sqq.) rettulit Macrobiana ad Pisandri maioris *ποιήματα νόθα* quae Suidas commemorat[31]), ut Vergilius revera carmen aliquod imitatus sit.

Concedo quidem quaestionem certe solvi non posse, quia argumentis caremus. Tamen Welckeri sententiam magis comprobem, quia et omnino simplicius testimonia interpretatur et Macrobium, ut cui ceteris locis — quod quidem ad rem attinet non ad verba — fides sit, hic quoque veri aliquid proferre ponit. Ut ergo carmen quoddam Graecum quo Troiae interitus narrabatur, Vergilio praesto fuerit, cum librum II componeret, quomodo eo usum esse credis Vergilium? Non aliter puto atque Apolloni libro III in quarto suo vel Iliados Ψ in quinto

---

30) Conferas de forma: S. ad a. IV. 1. ‚Apollonius Argonautica scripsit et in tertio inducit amantem Medeam: inde totus hic liber translatus est'.

31) Suid. l. l. s. v. *Πείσανδρος*: *ποιήματα δὲ αὐτοῦ 'Ηράκλεια . . τὰ δὲ ἄλλα τῶν ποιημάτων νόθα αὐτοῦ δοξάζεται γενόμενα ὑπό τε ἄλλων καὶ Ἀριστέως τοῦ ποιητοῦ.*

vel ‚Necyia' in sexto vel denique l. *K.* in nono suo usum esse intelleximus: ergo hic illic illius carminis narrationem poetam secutum esse verisimile est, maxime fortasse in iis quae de Sinone et de equo ligneo profert, quas partes Macrobius definite praedicat. Nam fieri non potuisse, ut Vergilius in illa descriptione propria et Romana unum deinceps exemplar sequeretur, nemo est qui neget [32]. Itaque hoc quoque loco Macrobianum testimonium verbis uti valde immoderatis luce clarius est.

32) Cf. Heinze, Vergils ep. Techn. p. 6, qui Pisandrum non nominans certis argumentis hoc confirmat.

II. De poetis Latinis.

De scholiis et Macrobio

Servi commentarius affert hos poetas inter Vergili exemplaria: Ennium, Lucretium, Lucilium, Pacuvium, Catullum, Varronem Atacinum, Sallustium, C. Licinium Macerum Calvum, Cornelium Gallum, quibus accedit carmen aliquod sacrum et antiquum[33]) (ad. a. VIII. 72).

Servius Danielinus, qui iam de his poetis, quos attulimus, plurimis auxit ea, quae Servi commentarius praebebat etiam ipse aliorum poetarum exemplaria addit. Tribus enim locis Naevi exemplar annotat, tribus aliis locis Accium affert, etiam carmen quoddam antiquum rusticorum laudat ad g. I. 101[34]). Scholia nostra reliqua, quantum video, illorum poetarum numerum non augent, sed interdum de iisdem alia proferunt.

Macrobius ut in libri V maxima parte unum auctorem secutus est, ita etiam in l. VI. unam videtur exscripsisse dissertationem. Librum enim exscriptum esse iam cognoscimus e longa illa periodo (VI. 1. 2), qua Furius Albinus orationem incipit; quae sententiae non ipsi conveniunt inter amicos referenti, sed auctori alicui librum scribenti de iis quae Maro de poetis Latinis transtulerit. Deinde quod veteres poetas contemnit: ‚quos sicut praesens sensus ostendit, non solum neglectui verum etiam risui habere iam coepimus‘ (VI. 1. 5), hoc non Ma-

33) Praeterea, quod ad res rusticas attinet, Catonem Varronem Ciceronem ad g. I. 43. una cum Henophontis Occonomicis (cf. p. 6, ann. 3)

34) Etiam quod ad sermonem pertinet, commemoratio fit C. Memmi (a. I. 161) et Augusti (a. I. 712).

crobi, sed Claudi Neronisque temporibus convenit. Etiam verba quae sunt cap. II. § 4 ‚accipe‘ [35]), § 8 ‚excerpam‘, § 30 ‚transcribere‘ librum exscriptum produnt.

Partitio (§ 7 cf. capitum initia) haec est, ut primum versus (cap. I), deinde loci (cap. II) de poetis Latinis translati, tertium loci non Homerici (cap. III) afferantur. Quamquam intra illas partes ordo iam non satis servatus est, tamen apparet in scriptis quibus usus est illius libri auctor et versus et locos optime fuisse ordinatos. Nam in cap. I. tres, ni fallor, partes distinguuntur; omissis enim paragraphis 36—42, de quibus certi aliquid statui non potest, prima parte usque ad § 36 versus afferuntur secundum poetas — atque id per proprium versuum ordinem [36]) — ordinati. Iidem poetae, qui sunt Ennius Lucretius Furius Lucilius, porro in secunda parte (§§ 44—54) occurrunt retro ordinati, cui rei convenit, quod etiam singuli libri et versus deinceps sequuntur plerumque retro ordinati; accedit, quod in his omnibus versibus similitudo inter Vergili et exemplaris versus multo minor est quam in parte antecedente: unde intellegimus eam esse secundam partem ‚versuum‘, ubi excerpserit Macrobi auctor illa scripta a fine ad initium regrediens. In tertia quoque parte (§§ 55—59) per poetarum ordinem versus componuntur, qui iam minorem praebent similitudinis gradum.

In capite secundo ‚locos‘ quoque proprie fuisse similiter ordinatos proditur prima parte §§ 1—15, ubi Lucreti loci deinceps se excipiunt; deinde autem Macrobius ordinem

35) ‚Accipe . . ut reperias‘ vera lectio est; quae verba Macrobius ex auctore transtulit.

36) Hoc demonstratur Lucreti (§§ 25—30) et Furi (§§ 31—34) versibus. Etiam Enni versus illum ordinem tenent a § 11 ad § 24 exclusa paragrapho 21 (extra ordinem additus est in § 17 v. libri XVI, item in § 22 vv. libri VI et libri XVII). Apparet § 11—15 Enni versus proprium Annalium ordinem praebere: ergo Vahleni versus: 23, 32, 54, 99, 102 ita inter se permutandi sunt, ut ordo appareat: 23, 54, 32, 102, 99. Apparet igitur versum 54 ante v. 32 positum Aeneae esse Tiberim adorantis (ut a. VIII. 72), deinde versum 102 ante v. 99 positum fortasse dici de ea nocte, qua Iliae pater dormienti apparet.

videtur ipse perturbavisse, ut qui verba iniecerit (§ 15): ‚nonne vobis videntur membra huius descriptionis ex uno fonte manasse, sed rursus locos alios componamus'. — De tertio capite res dubia est; reliqua libri capita, quae ex aliis fontibus fluxerunt, aliena sunt a proposito nostro.

Inspectis igitur indiciis et vestigiis, quibus fontium proprius ordo proditur, iam intellegimus, quales fuerint illi fontes. Nam cum Donati Vita Vergili (Reiff. Sueton. p. 66) memoriae traditum sit fuisse inter Vergili obtrectatores, qui ‚furta' eius contraherent vel ‚homoeon elenchon' corpus conscriberent, dubitari non potest, quin ex huius generis libris Macrobi auctor sua excerpserit; quos libros via et ratione compositos exemplaria per poetarum ordinem protulisse verisimile est. Accedit, quod obtrectatoris vox nonnullis locis proditur, maxime VI. 2 § 30 ‚cum paucorum verborum immutatione'. Cf. infra p. 63. Tamen dubium est, num revera ad ipsa scripta a Donato allata redeat Macrobi auctor, neque operae pretium est inquirere, cui illorum Macrobiana debeantur [37]); sed hoc certum est obtrectatores illos scientiam suam hausisse e scholiis antiquis, in quibus singula ad singulos versus exemplaria notabantur. Unde sequitur, ut etiam Macrobi collectiones redeant ad magnam illam scholiorum copiam, unde Servi scholiorumque nostrorum notae ortae sunt [38]). Quo fit, ut plerique poetae, quos affert Macrobius, etiam in scholiis nostris afferantur, quamquam alios eorum locos notat Macrobius, alios interdum scholia. Etiam ut poetas quosdam silentio praeterit ita alios addit ad exemplarium numerum: Varium Furium Sueium Ciceronem.

Apparet igitur tantum esse poetarum numerum, quorum opera Vergilius, cum carmina sua scriberet, inspexisse atque sibi proposuisse exemplaria tradatur, ut paene nullum

---

37) Cf. Ribbeck prol. p. 99. H. Linke, De Macr. fontibus, Wrat. 1880, p. 45.

38) Imprimis DS et Macrobi l. VI auctor ex eodem fonte hausisse videntur, cum uterque de Naevio et de carmine antiquo rusticorum idem proferat.

poetam praeteritum esse credam ex iis quos revera imitatus est. Dubium est, num etiam loci et versus, quibus exemplar Latinum ei praesto erat, notentur omnes: sed hoc non est magni momenti, dum ex his, quae comparare licet, cognoverimus ac statuamus, quos fines omnino Vergilius sibi posuerit, cum poetas imitaretur, atque quibus verbis scholia eos versus vel locos notare soleant, qui ad alium poetam Latinum redeant; unde de aliis quibusdam locis aliquid colligere licebit, quorum exemplaria non servata sunt. Incipiamus igitur a Lucretio qui apud Macrobium et in scholiis saepius nominatur inter Vergili exemplaria.

1. De Lucretio.

Cum Lucreti non fragmenta tantum sed totum carmen servatum sit, accurate licet examinare, quo consilio Vergilius Lucreti versus imitatus sit, quid mutaverit, quid non mutatum transtulerit: igitur etiam de verbis quibus utuntur Servius et Macrobius, cum imitationem notent, spero fore, ut iudicium facere liceat. Ac primum quidem de versibus singularibus, deinde de locis amplioribus agamus.

a) de versibus singularibus.

Gell. I. 21. 7: ‚Non verba autem sola, sed versus prope totos et locos quoque Lucreti plurimos sectatum esse Vergilium videmus‘.

Primum Vergilius nullum Lucreti versum totum sic transtulit ut invenerat [39]). Ceterum Macrobius in primo capite libri VI duodecim versus notat; quorum unus (§ 63 a. VII. 363 et g. I. 508 = L. V. 1292 sq.) omnino non verbis, sed sensu tantum exemplari Lucretiano similis est, alter (§ 47) propter unum verbum quod est ‚torquere‘ vel ‚pertorquere‘ affertur, duo deinde videntur ad Enni Annales redire:

---

39) de a. VI. 625 ‚Non mihi si linguae centum sint oraque centum‘, qui versus Lucili esse videtur, v. infra p. 81 sq.

1) (§ 46) a. VI. 842 Et geminos duo fulmina belli Scipidias.

L. III. 1034. Scipiadas belli fulmen Carthaginis horror.

Cf. Heinze, Comm. ad Lucr. III. p. 194 et Norden, Comm. ad Verg. VI. p. 326. Forma enim antiqua, quae est Scipiadas, ab Ennio primo ficta est et versui heroico adaptata; deinde illa metaphora, qua Barcae (i. e. fulmini) quasi fulmen Romanum opponitur, antiqua est; tertium toti loci et Lucreti et Vergili colorem habent Ennianum.

2) fortasse ex Enni carmine ortus est versus:

(§ 49). a. I. 354 ora modis attollens pallida miris.

L. I. 123 sed quaedam simulacra modis pallentia miris.

Melius comparatur versus g. I. 477 ‚ingens et simulacra modis pallentia miris' (cf. etiam a. X. 822. VII. 89. Lucr. IV. 724). — Lucretius enim de Ennio dicit (I. 123):
. . esse Acherusia templa . . Ennius exponit
quo neque permanent animae neque corpora nostra
sed quaedam simulacra modis pallentia miris.

Sed sive ab Ennio hoc fictum est sive a Lucretio, Vergilius hunc sermonem ab antiquioribus poetis formatum accepit; tamen exemplis, quae attulimus, demonstratur Vergilium suo modo illud variare studuisse.

Similiter ‚terminum' transtulit Vergilius hoc loco:

3) (§ 29) g. IV. 472 = L. IV. 35 simulacraque luce carentum (Ψ. 72 βροτῶν εἴδωλα καμόντων).

Duo alia hemistichia deinde afferuntur, quae revera non mutata transtulit Vergilius:

4) (§ 30) a. IX. 794 asper acerba tuens (de leone), quod Lucret. V. 33 de serpente dixerat. Quam grata Vergilio fuerit illa verborum compositio demonstratur simili loco g. III. 149 asper acerba sonans (de asilo).

5) (§ 44) a. I. 691 at Venus Ascanio placidam per membra quietem irrigat

L. IV. 907 nunc quibus ille modis somnus per membra quietem irriget

cf. a. VIII. 30 ,sèramque dedit per membra quietem'. Reliqua hemistichia, quae affert Macrobius in §§ 25—28 a Vergilio aliquo modo immutata sunt:

6) a. IV. 584 Et iam prima novo spargebat lumine terras.

L. II. 144. Primum aurora novo cum spargit lumine terras.

(Macrob. § 25 cum vitio prosodiae: ,cum primum aurora respergit lumine terras') cf. Serv. ad. a. IX. 459: ,Lucretianum est'.

— Summa cum arte et diligentia Vergilium id egisse notum est, ut cum diei temporum tum maxime orientis solis descriptionem exornaret (cf. Norden, Aen. VI. p. 263). Quam cum semper variare et aliam reddere vellet non miramur, quod hic illic aliorum poetarum exemplaria attraxit. Itaque ut saepius Homerum imitatus esse videtur [a. IV. 129 (= XI. 1). VII. 25. VIII. 97. VI. 535 al.] vel poetas Latinos (a. XII. 113 lucemque elatis naribus efflant = Enn. A. 600; a. VI. 255 ecce autem primi sub limina solis et ortus ∾ Catull. 63. 271 ,aurora exoriente vagi sub limina solis'. v. Norden Aen. VI.), ita hoc loco coniungit Lucreti et Furi (v. Macrob. VI. 1. 31) versus valde mutatos. Apud Lucretium actio cottidie, apud Vergilium semel facta describitur. Furi versum si quidem revera ante oculos habuit neque uterque ad Enni exemplar redit, duobus versibus Homericis Vergilius videtur exornavisse; Furius enim scripserat: ,interea Oceani linquens Aurora cubile; Vergilius fecit: ,Tithoni croceum linquens Aurora cubile', quocum conferas Homeri ε. 1. *Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο ὤρνυθ'*. et Θ. 1. *Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.* Haec omnia unius loci exemplaria notantur diversis locis: Servius (ad a. IX. 459) et Macrob. VI. 1. 25 Lucretium, Macr. V. 6. 15. et IX. 11 Homerum, Macrob. VI. 1. 31. Furium afferunt.

7) (§ 26) g. I. 367. Flammarum longos a tergo albescere (involvere Macr.) tractus.

L. II. 207. Nonne vides longos flammarum ducere tractus.

— Vergilius, cum interpretaretur Arati Phaenomena v. 926. *καὶ διὰ νύκτα μέλαιναν ὅτ' ἀστέρες ἀίσσωσι ταρφέα, τοῖς ὄπιθεν ῥυμοὶ ὑπολευκαίνονται.*
morem poetarum Latinorum secutus illo sermone a Lucretio pulcherrime ficto usus est. Eadem est res hoc loco:

8) (§ 27) a. III. 199 ingeminant abruptis nubibus ignes.

L. II. 214 nunc hinc nunc illinc abrupti[40]) nubibus ignes.

Denique his locis aliquid debet Vergilius Lucretio:

9) (§ 28) a. V. 674 belli simulacra ciebat[41]).

L. II. 324: camporum complent: belli simulacra cientes[42]).

10) (§ 48) L. I. 134.

cernere uti videamur eos audireque coram
morte obita quorum tellus amplectitur ossa.

V. a. X. 641. morte obita.

a. V. 31 tellus . . et patris Anchisae gremio complectitur ossa; ubi Vergilius ‚gremio' addito imaginem magis perspicuam reddit (cf. Serv.: ‚quasi de matre dixit').

E Servi commentario unum hemistichium addendum est:

11) a. X. 807.

dum pluit in terris, ut possint sole reducto
exercere diem.

L. VI. 630 Cum pluit in terris et venti nubila portant.

S.: ‚Dum pluit; hic distinguendum. Nam si iunxeris: ‚dum pluit in terris', erit archaismos, debuit enim dicere ‚in terras': tamen sciendum hemistichium hoc Lucretii esse: quod ita ut invenit Vergilius *ad suum* transtulit *carmen*.

Hi sunt versus, qui a Macrobio et Servio notantur ut e Lucreti carmine orti. Sunt autem revera permulti versus alii, qui aliquam similitudinem habent cum versibus Lucretianis, imprimis saepissime versuum clausulae similes sunt (plerumque duo ultima verba). Tamen gravissimas

---

40) abruptis Macrob.
41) ciebant Macrob.
42) cientur Macrob.

res a Macrobio afferri collectas concedendum est [43]). Quod ad imitationem Vergilianam attinet, apparet Vergilium nullum versum transtulisse integrum, hemistichia integra quattuor, mutavisse reliqua.

b) de locis amplioribus.

1) Vergilius Georgicon poeta simili in condicione versabatur atque Lucretius, cum scriberet carmen de rerum natura. Nam ut hic primus poeta Latinus aliquam doctrinam philosophicam versibus reddere conatus est, ita Mantuanus primus scripsit carmen Latinum, quo res rusticas laudibus efferret. Utriusque ingenio eaedem difficultates obstabant, quarum maxima erat illa ‚patrii sermonis egestas‘. Atque quantopere in hac re Vergilius quasi socium se esse senserit Lucretio, ex illis locis intelleges, quos confert Macrob. VI. 2. 2. (g. III. 289 sqq. = L. I. 922 sqq.). Macrobius hunc Vergili locum habet in numero eorum, qui ‚unde formati sint, quasi de speculo cognoscas‘. Servius autem dicit ad v. 293: ‚hic autem l o c u s t o t u s d e L u c r e t i o t r a n s l a t u s est‘. Concedimus Vergilium Lucreti versus exemplar sibi posuisse; atque ex iis quae supra diximus, satis apparet, cur Lucreti versus imitatus sit. Amore enim Musae suae inflammatus non minus difficilem rem se suscepisse sentit atque superbia quadam affectus quasi iuxta poetam illum summis honoribus cultum se tollit. Quod ut lector Romanus, qui quidem studio bonarum artium se dedisset, certe cognosceret, Vergilius verbis bene delectis et inter se coniunctis Lucreti carmen ei in memoriam revocare debebat. Hoc assecutus esse mihi videtur poeta maxime his rebus: primum quod ut Lucretius iam fecerat, his versibus lectorum animos intentos atque magno amore rei tractandae incensos ad novam carminis partem et eam gravissimam secum raptare vult; deinde tota coniunctione sententiarum:

---

43) Addenda: g. II. 140 (= a. VII. 280) spirantes navibus ignem ∾ L. V. 30.; a. I. 36 aeternum . . sub pectore volnus = L. II. 639; g. II. 478 ∾ L. V. 751.; e. VIII. 87 + a. VII. 108 = L. II. 30. v. p. 45.

Nec sum dubius, quam sit	Nec me fallit, quam sint
sed raptat	sed percussit (et incussit)
iuvat ire	iuvat accedere

postremo his verbis: ‚animi‘; ‚verbis ea vincere magnum quam sit‘ cf. L. V. 99 ‚et quam difficile id mihi sit pervincere dictis‘; ‚dulcis amor‘ ∾ ‚suavem amorem‘ ‚iuvat ire iugis‘ ∾ ‚iuvat integros‘ (servata alliteratione). Praeterea autem eandem rem dissimillimis verbis exprimit. Utri melius contigerit ‚ut verbis redderet, quod animum commoveret, de hac re potest disputari. Sed hoc quidem constat Vergilium non tam verba Lucreti quam sensum imitatum id spectasse, ut omnino elocutionem Lucretianam redderet verbis quibusdam attractis etiam ex aliis Lucreti locis. Optimo ergo iure illi loci comparantur. Quod autem Servius dicit ‚totum translatum‘ esse Vergili locum de Lucretio, apparet ea verba de poetis Latinis dicta non magis valere quam de poetis Graecis; Vergilius enim exemplari suo non magis videtur obnoxius esse quam in locis de Homero vel de Apollonio ‚translatis‘ statuimus.

2) Novo igitur genere sermonis poetici excolendo poetas similes esse diximus; nunc in philosophicis quoque quaestionibus Vergilium cum Epicureo se comparavisse videbimus. Pulcherrima enim laudatione vitae rusticae, quam legimus g. II. 458 sqq., duplici ratione Vergilium ad carmen Lucretianum adduci opus erat. Primum enim vita agricolarum quasi exemplum ei erat paupertatis et felicitatis illius, quam praeferendam esse docet Lucretius divitiis et honoribus. Deinde autem cum laudaret felicitatem et quietem agricolarum, defendere debebat religionem eorum et simplicitatem contra impetus Lucreti. His duabus rebus accidit, ut Vergilius per totum locum, quo de amoenitate vitae in agris silvisque agendae ex animi sententia loquitur, indiciis quibusdam subtilibus sed perspicuis ad carmen Lucreti mentem lectoris advertat. Locos composuit Macrob. VI. 2. 4, 1. 65, 2. 15 (Verg. g. II. 461—523 ∾ Lucr. II. 24 sqq., V. 937. III. 70 sqq.). Primum locum (Macr. VI. 2. 4. g. II. 461 sqq. = L. II. 24 sqq.). Vergilius

sine dubio ad Lucreti exemplar composuit neque sine causa Macrobius ,eundem colorem ac paene similem sonum utriusque reperiri' dicit. Conferas initia: V. 458. O fortunatos ∾ L. 14 ,o miseras hominum mentes' deinde totam sententiarum coniünctionem;

si non .. vomit ⟨per duos vv.⟩	L. si non aurea sunt ⟨duo vv.⟩
nec inhiant	nec domus .. renidet
neque fucatur	nec reboant:
nec corrumpitur:	
at .. non absunt	cum tamen curant

Etiam uterque poeta voluptatibus urbanis opponit gaudia vitae rusticae. Sed Vergilius et haec novis verbis describere studet novisque coloribus et illarum afferre nova exempla. Apud Lucretium prior pars, descriptio domus copiosae et urbanae, apud Vergilium altera pars, qua describitur naturae amoenitas, gravissima atque maxime exornata est. Lucretius duas pingit imagines et alteram ponit iuxta alteram comparandam; item pingit quidem Vergilius, sed singula membra alterius imaginis singulis partibus prioris vult respondere: honoribus otium, magnificae domui et pretiosis vestibus amoenam ruris naturam, delicatis nobilibus iuvenes laboris patientes et vilibus rebus contentos. Deinde quamquam sententiarum coniunctionem imitatur Vergilius, tamen totum artificiosius construit tribus particulis ,nec' respondentibus tribus particulis ,at'. Postremo quod Lucretius dicit: ,non magnis opibus iucunde corpora curant' Vergilius quasi impugnare videtur, cum dicat vitam rusticam esse ,divitem opum variarum'. Quanto hic locus totus gaudio affecerit Vergili animum, etiam ex ea re licet intellegere, quod unum versum Lucretianum (v. 30) bipartitum diversis locis carmini suo inseruit:

e. VIII. 87 propter aquae rivum viridi procumbit in ulva.

a. VII. 108 corpora sub ramis deponunt arboris altae.

Nec potest dubitari, quin poeta, cum primus carmen scriberet de agricultura, locos poetarum priorum, biu

eandem rem laudaverant, iterum et iterum inspectos aut imitari studuerit aut meliores reddere. Hoc quidem loco mihi videtur operam impendisse, ut superaret Lucreti exemplar.

Ex natura rei fit, ut in insequenti parte laudationis vitae rusticae plura inveniamus, quae Lucreti carmen in memoriam revocent. Dicit enim Vergilius se quoque magni aestimare carmen philosophicum — sed se praeferre rura et amnes; praedicat quidem philosophum, qui homines metu liberaverit — sed non minus eum appellat felicem, ‚deos qui novit agrestis' et deinde labores urbanos comparat cum dulci otio vitae rusticae. Philosophus ille quem laudat Vergilius nomine non allato, sine dubio Lucretius est (cf. Munro ad Lucr. I. 77). Quod ut lector ipse e verbis cognoscat, Lucretianis utitur Vergilius non in philosophicis solum, ubi semper Lucreti ‚terminis' uti debebat:

476. percussus amore ~ L. I. 19. incutiens blandum per pectora amorem (cf. I. 924).

478. defectus solis varios lunaeque labores ~ L. V. 751 solis item quoque defectus lunaeque latebras.

479. unde tremor terris ~ L. VI. 577 est haec eiusdem quoque magni causa tremoris. (Cf. VI. 608.)

481 sqq. cf. L. V. 680 sqq.

491. Iam ea re, quod ‚metus omnis' ‚fatum' ‚Acherontem' composuit Vergilius, nobis in mentem venit Lucreti. Sed magis elucet Vergilium in carmen Lucreti digitum intendere, quod verbis utitur, quae sunt: ‚subiecit pedibus', quocum conferas Lucreti I. 78 ‚religio pedibus subiecta'.

495. populi fasces = L. III. 996.

500. ~ L. V. 937 Versus comparat Macrob. VI. 1. 65, ubi versus afferri diximus, qui sensu tantum similes sint. Sed de pomis et frumento Vergilius, de agro tantum Lucretius dicit.

Etiam vv. 510 sq. componit Macr. VI. 2. 15 cum Lucreti vv. III. 70 sqq., ubi apparet verbis quidem, quae sunt ‚gaudent sanguine fratrum', Lucreti locum indicari, sed reliqua compressisse Vergilium atque, ut hoc afferam, pepercisse adiectivis, quae sunt ‚crudelis' et ‚tristis'.

vv. 514 sqq. comparari possunt cum Lucr. l. II initio. 523. ‚interea dulces pendent circum oscula nati' perbene opponitur Lucreti tristibus versibus III. 894 sqq.: ‚nec dulces occurrent oscula nati praeripere'. Sed Vergilius vocem reddit arte compressam.

Apparet igitur quae verba Lucretiana adhibuerit Vergilius undique e Lucreti carmine non ex uno loco attracta esse, levia tantum translata esse et ea omnia mutata. Quod non satis potest intellegi, si singulares loci Macrobi modo dispersi atque e conexu dirempti afferuntur.

3) Genus poematis philosophici sic erat Lucretianum ut epicum Ennianum vel Graecis Homericum; quo fit, ut Vergilius cum aliis poetis Latinis in explicandis doctrinis philosophicis semper sequatur elocutionem Lucreti. Huc pertinet, quod Macr. VI. 1. 45 Vergili a. VI. 724 ‚camposque liquentes' comparat cum L. VI. 405 ‚camposque natantes'; nam totum illum locum secundum Lucretianam elocutionem fictum esse tibi persuadeas volo inspecta Nordeni (Comment. ad Aen. VI. p. 302 sq.) collectione. Similiter res se habet:

4) e. VI. 31 sqq. ∼ L. V. 432 sqq., quos locos comparat Macrobius VI. 2. 22—24. Sed etiam hic Vergilius minime hunc unum Lucreti locum imitari voluit. Potius ex his intellege colorem omnino Lucretianum:

v. 31. magnum per inane = L. I. 1018.

v. 32. cf. L. I. 715. ex igni terra atque anima procrescere et imbri.

v. 33. liquidi ignis = L. VI. 205. liquidi color aureus ignis. — ut his exordia primis omnia ∼ L. I. 61 corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis. — ‚concreverit' saepius apud Lucretium.

v. 35. durare .. et discludere .. coeperit et sumere cf. L. V. 437. diffugere inde coepere paresque iungi et discludere.

Praeterea Vergilius illa forma quadam artificiose complexus est, quae Apolloni Rhodi narrationi (Arg. I. 496 sqq.) non dissimilis est.

His locis philosophicis praeter illum, quem supra

tractavimus (g. II. 458 sqq. v. p. 44) addendus est a. I. 742 sqq., cuius duo versus (745 sq.) e g. II. 481 sq. translati sunt, ‚solisque labores' cum g. II. 478, ‚unde hominum genus et pecudes' cum a. VI. 728 congruunt. Quem locum Macrobius praeteriit.

5) Locis quos adhuc tractavimus, Vergilius aut sciens ad Lucreti carmen legentium animus vertit aut eius elocutione philosophica usus est. Restant duo loci, ad quos hae rationes non pertinent. Altera enim est descriptio illa pestilentiae Noricae (V. g. III. 478—566), de qua Macrobius dicit: ‚ipsius pestilentiae, quae est in tertio Georgicorum, color totus et liniamenta paene omnia sunt de descriptione pestilentiae, quae est in sexto Lucretii'. Concedimus ex natura rei fuisse, ut Vergilius cum scriberet de pestilentia pecudum, sibi proponeret exemplar carmen Lucreti, quo describitur pestis Attica; quantopere enim in tali materia id facere soliti sint poetae latini, inde intellegitur, quod Lucretius liniamenta revera e Thucydidis descriptione, e Lucretio et Virgilio Ovidius (Met. VII 523 sqq.) permulta transtulit.

De Vergilio licebit iudicare similibus verbis sententiisque comparatis. Iam primis versibus auditis in mentem nobis venit carminis Lucretiani, quod Lucretius incipit: ‚haec .. quondam', Vergilius: ‚hic .. quondam'. Cf. Macrob. VI. 2. 7. (V. g. III. 478 sqq. ~ L. VI. 1138 sqq.). Etiam illud ‚coorta est' saepe versum finit apud Lucretium; similiter: L. VI. 458 ‚usque adeo tempestas saeva coorta est'. Deinde: ‚neci dedit' ~ 1144 ‚morbo mortique dabantur' et 1255 ‚dedita morti'. Etiam ‚aestu' in fine versus = L. 1138 et ‚genus .. ferarum', ut L. 1216. Praeterea autem hic nihil invenimus, quod Lucretianae formae simile sit. vv. 482—495 novo modo reddunt, quod Lucretius dixit 1168, 1204.

vv. 486—496 alieni sunt a Lucreti carmine.

497. de tussi aliter Lucretius: ‚per fauces rauca vix edita tussi'; quod de crassis suibus Vergilius dicit.

vv. 500 sqq. ~ L. VI. 1182 sqq. componit Macr. VI. 2. 10—11.

v. 503 similiter formatus est atque Lucreti v. 1182; sed ille ad antecedentia, hic ad sequentia pertinet. Ceteri versus simile habent τὸ ἦθος. Quod etiam in versibus insequentibus (Macrob. §§ 8—9) invenies; ubi Vergilius, quod de hominibus dicit Lucretius, artificiose ad bestias transtulit: sed natura rei fit, ut pleraque diversa sint. Etiam Vergilius sua compressa reddidit.

Versus § 12 a Macrobio allati (V. 509 sqq. ∼ L. 1224 sqq.) hoc solum commune habent, quod in utrisque de vanitate remediorum agitur et verba similia apparent, quae sunt ‚hoc erat exitio'.

Iam in his versibus admiratione dignum est, quanta moderantia quantoque pudore Vergilius spectacula horribilia descripserit. Idem evenit in insequentibus versibus, ubi poeta misericordia quadam humana commotus lectoris oculos a terribili aspectu equorum corpora sua laniantium avertere magis videtur quam coloribus variis rem ipsam describere. (v. 513. fortasse imitatus Nicandri Theriac. 86).

Omnia quae sequuntur usque ad v. 536, non orta sunt e Lucretiana descriptione pestilentiae; sed ubi poeta tristem statum taurorum morbo affectorum est descripturus (520 sqq.), ei in mentem venit alterius loci Lucretiani clarissimi (II. 361 sqq.; cf. Macr. § 6). Videtur enim hac descriptione inserta miserationem legentium incitare voluisse neque ignorabat fore, ut e media imagine tristis pestilentiae perbene eluceret commemoratio arvorum purique amnis; etiam Lucreti versus digni esse ei videbantur, quorum amoenitatem ipse certamine quodam assequi conaretur vel superare[45]). Ceterum vide, quanta arte Vergilius suis verbis reddere studuerit sententias Lucretianas; figura anaphora (non.. non.. non) gradatio-

45) Crediderim Vergilium vv. 520—524 secretos scripsisse ad exemplar Lucreti et deinde hanc imaginem inter vv. 519 et 525 inseruisse. Nam in antecedentibus versibus ‚arator' subiectum est enuntiationis, idem, qui quaerere potest v. 525: quid labor aut benefacta iuvant? etc. Sed in versibus intermissis de tauri sensibus loquitur poeta atque adeo non apte coniuncti sunt versus cum antecedentibus, ut credas, ‚animum' (521) non tauri, sed aratoris esse.

nem efficit, quae summum gradum assequitur eo, quod amnis amoena sermonis ubertate describitur, aliter atque Lucretius fecit.

Sequuntur versus, quorum nonnulla, quod ad sensum attinet, Lucreti carmine excitata videntur esse. v. 529 cum L. V. 945 (cf. Macrob. VI. 1. 64) vix comparari potest, cum Vergilius quasi ut homines faciat pecudes ab agricola dilectos atque ita rem novam reddat. Sed ut Lucretius v. 1216 narraverat aves non ad acervos cadaverum adire ausas esse, ita apud Vergilium lupus ovilibus approprinquare desistit. Etiam canes, de quibus Lucretius loquitur v. 1222, pestilentia laborare Vergilius ita reddit, ut dammas sine timore usque ad domos accedere dicat. Similiter de avibus (Macrob. § 14) diverso modo agunt poetae et de vanitate remediorum, ubi Vergilius versu 550 nominibus propriis allatis etiam Graecum colorem carmini dare studet. Finis quoque alienus est a Lucreti carmine.

Comparatis igitur utriusque poetae locis mente complectamur, quibus rebus concinant: hic illic Lucreti sermonem afferri a Vergilio cognovimus; etiam nonnullas descriptionis partes ad exemplar Lucreti finxit. Sed saepius tales descriptiones vel ad novam rem transtulit — ut omnino de bestiis agit, non de hominibus — vel totas transformavit ita, ut nomen tantum rei tenuisse, descriptionem vel actionem rei ipsum excogitavisse Vergilium credere possis. Praeterea ordo totius descriptionis nullo modo cum Lucreti dispositione congruit. Sed ne neglegamus, quod gravissimum est: Vergilius totam materiam aliter tractavit. Lucretius enim id spectaverat, ut rem ipsam, quanto fuisset terrore quantaque foeditate, veris coloribus depingeret. Vergilius autem id agens, ut turpia oculis nostris absint, miserationem nostram excitare atque arte poetica studet supplere, quod pudor describere eum vetat. Itaque perpauca tantum e tota descriptione Lucretiana in carmen suum transferre licebat. Quae cum ita sint, non comprobamus Macrobi sententiam, cum dicat: ‚colorem totum et liniamenta paene omnia tractata esse de descriptione . . Lucretii‘ nec minore censemus audacia

esse interrogatum illud (§ 14): ‚nonne vobis videntur membra huius descriptionis ex uno fonte manasse?' Quam quaestionem ab ipso Macrobio fictam esse proditur pronomine ‚vobis'. Cf. supra p. 38.

6) Postremo Macrob. VI. 2. 29 comparat Vergili g. I. 118 sqq. cum Lucreti V. 213 sqq. Primo aspectu dubitabis, an omnino sit, cur comparentur. Tamen veri aliquid observatum est. Dicit enim Vergilius, ut homines victum non assequantur nisi magnis laboribus multisque rebus obstantibus, Iovem ipsum instituisse; ante quem felicia tempora fuisse. Similes sententias apud Lucretium compluribus locis invenimus, quorum unius partem affert Macrobius. Lucretius enim impugnat eos, qui dicunt hominum commodo mundum a dis esse conditum. Nam cur hominibus victum magno labore quaerentibus tot res obstare? Quaerenti Lucretio videtur respondere Vergilius, cum dicat: ‚Pater ipse colendi haud facilem esse viam voluit', ut laboribus et periculis mentes hominum ad inveniendas artes incitarentur. Quo fit, ut per totum locum hic illic Lucreti vestigia appareant:

v. 118. Nec tamen .. labores = L. V. 213 et tamen .. labores. hominumque boumque labores ∾ L. II. 1156 conterimusque boves et vires agricolarum.

122. -que per artem cf. L. V. 10.

127. ipsaque tellus .. ferebat. ∾ L. II. 1156. sed genuit tellus eadem quae nunc alit ex se .. ipsa dedit.

et L. V. 942. plurima tum tellus etiam maiora ferebat. Cf. etiam, quod supra dictum est ad Macrob. VI. 1. 65, ubi eundem locum V. 937 sqq. imitatus est Vergilius. — Non igitur unum locum Lucretianum secutus est Vergilius, quod ut putemus Macrobi compositione facile adducimur, sed omnino Lucreti elocutionem in his rebus describendis usitatam imitatus est[46]).

---

46) Vergilium via quadam et ratione usum unum locum (L. V. 206 sqq.) sibi proposuisse exemplar, deinde duorum aliorum locorum verba in hoc exemplar (‚Vorlage') inseruisse et effinxisse — id, quod P. Jahnius contendit Mus. Rhen. 58, p. 405 — hoc paucis illis verbis

Hi sunt versus et loci Lucretiani, quos affert Macrobius; scholia illos non augent nec revera quicquam addi potest, quod magni momenti sit. In philosophicis ergo rebus Vergilius non tam locos singulares quam totam Lucreti elocutionem secutus est; ubi autem unum locum Lucretiani carminis sibi proposuit exemplar, sensum tantum ac structuram imitatus rem ipsam suis verbis nec raro suis additamentis vel ornamentis reddidit; liberrime denique amplioris loci narrationem transformavit digessit exornavit[47]. Apparet igitur inter Vergilium et Lucretium paene easdem rationes intercedere atque inter Vergilium et exemplaria Graeca; una est discrepantia, quod e carmine Latino etiam ipsa verba atque versus partes transferre licebat. Sed quanta omnino moderantia ipsa hemistichia transtulerit, quanto studio nova reddiderit verba ipsis iis locis, quos e Lucretio ‚transtulisse' dicitur, locis comparatis intelleximus; unde de aliis exemplaribus Latinis discimus iudicare.

2. De Ennio.

Ut philosophicum genus dicendi a Lucretio ita epicum ab Ennio Vergilius accepit. Sed per se intellegitur Vergilium etiam imitatum esse vel versus vel locos Annalium, quippe quibus non solum similes, sed interdum etiam eaedem res tractatae essent.

a) de versibus singularibus.

α) de versibus, quorum exemplaria exstant

Versuum XVII, quos affert, Macrobius VI, 1, 8—24 sex in numero eorum habendi sunt, quos hodie significamus verbo: ‚Citat' (S. a. VI. 846. ‚sciens Vergilius quasi pro

---

utrique poetae communibus non satis demonstratur. Nam fieri non potest, quin, qui in eadem re versatur describenda, hic illic eodem sermone utatur.

47) Satis sit differentiam indicavisse, quamquam accuratius quaerenti demonstrandum esse concedimus, quomodo Vergilianae artis nova regula in periodis struendis atque enuntiationibus per versus dispertiendis omnia Lucretiana transformata sint.

exemplo hunc versum posuit'). Vergilius enim cum de iisdem rebus referret, quas Ennius narravit, vel de simillimis ad illius verborum exemplar sua instituit.

1) a. I. 530 (= III. 163) est locus Hesperiam Graii cognomine dicunt.

(Macr. § 11) A. 23. est locus Hesperiam quam mortales perhibebant. — Illa verba in Annalibus, ut videtur, a poeta referente dicta Vergilius transtulit hic ad penatum vaticinium, illic ad Ilionei cum Didone colloquium. Sed omisso, ut solet, pronomine ,quam' cacophonian evitat.

2) (§ 12) a. VIII. 72. Tuque o Thybri tuo genitor cum flumine sancto.

A. 54. Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto.

Uterque versus locum habet in precatione Aeneae Italiam assecuti. (De Ennio hoc probavimus p. 37 ann. 36. Cf. etiam S: ,sic enim invocatur in precibus: adesto Tiberine cum tuis undis).

3) (§ 13) a. VIII. 150 accipe daque fidem; sunt nobis fortia bello pectora.

A. 32. accipe daque fidem; foedus que feri bene firmum.

Ex foedere cum Albano rege facto Enni verba Vergilius transtulisse videtur ad societatem cum Euandro initam.

4) (§ 15) a. IX 422. Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas persolves.

A. 99. Non pol homo quisquam faciet impune animatus
hoc nisi tu: nam mi calido das sanguine poenas.

Verba Romuli fratrem necaturi Vergilius dat Volscenti in Euryalum irruenti. Sed hanc elocutionem frequentatam fuisse et paene sine imitatione dictam demonstratur alio loco (a. X. 617): ⟨Turnus⟩ ,Teucrisque pio det sanguine poenas'. — Etiam DS illum versum notat.

5) (§ 18) a. 528 ⟨ad Musas⟩ et mecum ingentes oras evolvite belli.

A. 174. Quis potis ingentes oras evolvere belli.

Cf. etiam DS: ,est autem Ennianum: qui .. belli'. Certe praeclara erant illa Enni verba metaphora audacter constructa, praesertim cum libri VI exordium facerent.

6) (§ 23) a. VI. 847. Unus qui nobis cunctando
restitues ⟨sic Norden⟩ rem.

A. 370. Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Etiam Servius notat: ‚ille est ⟨sc. Fabius⟩, de quo ait Ennius: unus qui nobis cunctando restituit rem‘. Falso ergo laudat Enni versum; etiam apud Macrobium utriusque poetae versus apparent inter se similiores, cum Vergili versum faciat finientem clausula: ‚restituit rem‘. Sed ex optimo fonte fluxerunt verba quae in Servi commentario sequuntur: ‚sciens enim Vergilius quasi pro exemplo hunc versum posuit‘.

Ad hos sex versus apud Macrobium collectos accedunt duo alii, quorum alterum Macrobius affert in alia re tractanda, alterum notat Servius.

7) (Macrob. VI. 4. 4) a. II. 782 ⟨in Creusae vaticinio⟩:
inter opima virum leni fluit agmine Thybris.

A. 173 quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen.

Quod de Tiberi quoque Ennius videtur dixisse.

8) a. VII. 622. belli ferratos rumpit Saturnia postis.

S.: acyrologiam fecit commutando Ennii versum: nam ille ait: ‚belli ferratos postes portasque refregit‘ ⟨A. 271⟩.

Deinde unum versum affert Macrobius, quo Vergilius certare videtur cum Ennio.

9) (§ 22) a. VIII. 596. Quadrupedante putrem sonitu
quatit ungula campum.

A. 224. Explorant Numidae: totum quatit ungula terram.
A. 277. Consequitur; summo sonitu quatit ungula terram.
A. 439. It eques et plausu cava concutit ungula terram.

Enni praeclara exemplaria duabus rationibus Vergilius studet superare: in fine enim pro ‚terra‘ posuit ‚campum‘, quae vox fuscis literis magis ei videbatur idonea esse, atque in initio ingeniose invenit verba, quadrupedante putrem‘; quibus verbis assecutus est, ut solis dactylis totus versus sit compositus atque equorum currentium fremitum bene imitetur. Quod diligenter magis excoluit alio loco:

a. XI. 875 quadrupedumque putrem cursu quatit
ungula campum.

Similiter res se habet altero versu, quem Vergilius non tam superare vult quam corrigere; quem versum Servius notat:

10) a. XI. 503 at tuba terribilem sonitum procul aere canoro increpuit.

S. ,a. t. t. s.] hemistichium Ennii: nam sequentia iste mutavit; ille enim ad exprimendum tubae sonum ait: «taratantara dixit». Et multa huius modi Vergilius cum aspera invenerit, mutat. Bene tamen hic electis verbis imitatur sonum tubarum'. — Animadvertas volo sermone ,hemistichium Enni' significari hemistichium non plane cum Enniano concinens.

His applicamus tres versus Ennianos, quos laudat Vergilius quasi verbis ludens, cum hemistichiis studiose translatis novum sensum infundat.

11) a. IV. 404 it nigrum campis agmen.

S. ,i. n. e. a.] hemistichium Ennii de elephantis dictum ⟨A. 474⟩, quo ante Accius est usus de Indis'. Quae verba praeclara Vergilius transtulit ad formicarum nigram turbam.

12) Enni versum: ⟨A. 472⟩

semianimesque micant oculi lucemque requirunt

quem ,ita, ut fuit, transtulisse ad suum carmen Varronem Atacinum' testatur Servius, Vergilius artificiosa deflexione transtulit ad decisam dexteram:

a. X. 396 semianimesque micant digiti ferrumque retractant.

(Cf. Vahlen ad A. 472.)

13) g. III. 76 ⟨pecoris generosi pullus.⟩

altius ingreditur et mollia crura reposcit.

S. ,Ennius de gruibus: ,perque fabam repunt et mollia crura reponunt' (Cf. Schol. Bern. ,et Ennius de gruibus dicit').

Hi ergo sunt versus, quos ,sciens' Vergilius laudavit; reliqua videtur accepisse non cum industria Enni certum locum, sed omnino epicum genus dicendi imitatus. Quod maxime sequi debebat in sermone Homerico ab illo ad poesin Latinam translato, ut versu:

14) (§ 10) a. X. 2 = A. 175 divum pater atque hominum rex

(= πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε). Etiam:

15) (§ 24) a. X. 488. corruit in volnus: sonitum super arma dedere.

A. 415. concidit et sonitum simul insuper arma dedere. Quod Vergilius arte compressit. Redeunt ad Homeri illud: ‚ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ' ⟨Δ. 504⟩. Cf. DS. ad a. X. 488 ‚Homeri est'.

Duas deinde versuum clausulas iam Lucretius ante Vergilium acceperat; quare apparet eos versus iam quasi res communes fuisse poetis epicis:

16) (§ 9) Ennius dixit bis de caelo: ‚stellis fulgentibus aptum' deinde de nocte: ‚stellis ardentibus apta'. Unde Lucretius (VI. 359) finxit: ‚stellis fulgentibus apta concutitur caeli domus', Vergilius:

a. IV. 482 et VI. 797. Atlas axem umero torquet stellis ardentibus aptum.

Accedit a. XI. 202 nox umida donet
invertit caelum stellis ardentibus aptum.

17) (§ 20) A. 292. Nunc hostes vino domiti somnoque sepulti.

Lucretius huius versus finem imitatus Vergilium antecedit:

V. 974. sed taciti respectabant somnoque sepulti
(cf. I. 133 somnoque sepultis).

Vergilius magis Ennium secutus dicit:

a. II. 265. invadunt urbem somno vinoque sepultam.

Sed participio ‚domiti' excluso novam formulam fingit quam etiam aliis locis tenet: a. IX. 189 somno vinoque soluti (S. sepulti) it. IX. 236. a. IX. 316 somno vinoque.

Deinde magis Lucretium Vergilius sequi videtur quam Ennium tertio loco:

18) (§ 50) a. III. 175. tum gelidus toto manabat corpore sudor.

A. 418. tum timido manat ex omni corpore sudor.

L. VI. 944. manat item nobis a toto corpore sudor.

Similia frequentata sunt apud Vergilium (cf. a. VII. 458. IX. 812 ∼ A. 406; schol. Veron. ad. a. II. 173 et Lucr. V. 487; g. III. 501).

Versuum qui supersunt quattuor ex elocutione Enniana in pugnis describendis usitata orti sunt:

19) (§ 17). a. XII. 552 summa nituntur opum vi; quod iam bis apud Ennium (A. 161. 412) inveniebatur. Servius adnotat: ‚hemistichium *est* Ennianum‘. Alio loco Vergilius similiter scripsit: ‚summaque evertere opum vi‘ (a. IX. 532).

20) (§ 21) a. XI. 745. tollitur in caelum clamor = A. 442.

21) (§ 54) a. VII. 625 omnes arma requirunt = A. 186.

22) (§ 16) a. VII. 520 = A. 153. concurrunt undique telis.

Tribus deinde versibus Ennianis usus est Vergilius, quibus poetarum epicorum more tempora diei inducuntur. De nocte dicit:

23) (§ 8) a. II. 250. Vertitur interea caelum et ruit oceano nox.

A. 211. Vertitur interea caelum cum ingentibus signis.

24) (§ 14) a. III. 587. et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

A. 102. cum superum lumen nox intempesta teneret.
De sole oriente:

25) a. XII. 115 ⟨Solis equi⟩ lucemque elatis naribus efflant.

S.: ‚Ennianus versus est ordine commutato: ille enim ait: funduntque elatis navibus lucem‘. Ergo mutavit Vergilius illum versum, neque est totus Ennianus. Sed Ennium quoque de Solis equis loqui propterea verisimile est, quod ‚lucem‘ effundunt bestiae, non ignem ut Diomedis equi Lucr. V. 29, quod transtulit Verg. g. II. 140 ad tauros fabulosos, g. III. 85 ad equum acrem, a. VII. 280 item ad equos egregios. Cf. quod dixi p. 41.

Restant denique duo hemistichia, de quibus nihil habeo,

quod dicam nisi Vergilium iis insertis carmini suo colorem quendam Ennianum dare voluisse.

26) (§ 19) a. XII. 565. Iuppiter hac stat = A. 258.

et 27) a. IX. 165. vertunt crateras aenos. S.: ,v. c. a.: portantes *exhauriunt*; et est hemistichium Ennianum'.

Hi sunt versus ,paene solidi translati' vel hemistichia a Macrobio et scholiis notata; accedunt versus quidam minoris similitudinis (Macr. §§ 51—53; antecepimus enim §§ 50 et 54) et sensus translati (id. §§ 60—62). Illi sunt:

28) (§ 51) a. VIII. 91. labitur uncta vadis abies ∾ A. 386. labitur uncta carina.

Sed Vergilius etiam a. IV. 398. natat uncta carina.

29) (§ 52) a. XII. 284. ac ferreus ingruit imber ∾ A. 284. fit ferreus imber.

30) (§ 53) a. XII. 493. Apicem tamen incita summum hasta tulit.

A. 416. tamen induvolans secum abstulit hasta insigne.

Ergo duo afferunt iterum Ennianam elocutionem ad proelia pertinentem.

31)—34) Sensus translatos (a. VII. 295 ∾ A. 354 et a. V. 302 ∾ Alex. 49) in Macrobi libro inspicias; ultimo versui (§ 62 a. X. 284 audentis fortuna iuvat ∾ A. 257 fortibus est fortuna viris data) Servius pari iure ascribit: ,Terentianum: fortes fortuna adiuvat'. —

Similiter Servius ad a. VI. 219 ,corpusque lavant frigentis et unguunt': versus Ennii qui ait ⟨A. 155⟩: ,Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.'

Constat talia ,Enniana' multo plura posse afferri, cum universe ad epicum genus dicendi pertineant, cuius auctor Ennius est. Scholia hic illic talia notant: a. I. 51 (S.) 81 (DS) 254 (DS) II. 62 (DS) III. 241 (DS) IV. 596 (S) V. 241 (Schol. Veron.) IX. 253 (S) XII. 294 (DS) 499 (S).

Inspectis XXXIV versibus Ennianis, quorum exemplaria comparari possunt, quoniam statuimus nullum solidum esse translatum, duos esse similes (2. 6), undecim hemistichia integra (1. 3. 11. 12. 14. 19. 20. 21. 22. 25.

26), alia cum mutatione esse translata, quattuor denique versus sensu tantum congruere cum exemplari: nunc transeamus ad eos versus, quorum exemplaria aut incerta sunt aut perierunt.

β) de versibus quorum exemplaria perierunt vel incerta sunt.

35) a. II. 241. O patria o divom domus Ilium et inclita bello moenia Dardanidum.

S. ‚o patria] versus Ennianus'. Quid valeat haec Servi annotatio demonstratur versibus sub n. 24 et 33 allatis [53]): optimo igitur iure Vahlen illa verba pertinere dicit ad fragmentum scaenicum (92):

O pater o patria o Priami domus
saeptum altisono cardine templum.

36) a. II. 274. Ei mihi qualis erat: quantum mutatus ab illo Hectore.

S.: ‚ei mihi] ‚Ennii versus'. Ubi recte Vahlen (ad A. 7) ponit ad Ennium partem tantum versiculi redire. Sed cum in sequentibus versum 281 ad Enni Alexandrum redire Macrobius notet [VI. 2. 18 v. p. 61, 3] etiam hunc versum 274 non in Annalibus sed in Alexandro exemplar habuisse opinor.

36) a. XI. 27. quem non virtutis egentem abstulit atra dies.

S., qu. n. v. e.] Ennii versus est'. Quid apud Ennium fuerit, incertum est. (Vahlen A. 559 ipsa verba: ‚quem non virtutis egentem' inter fragmenta accepit.) Clausula ‚-is egentem' invenitur etiam apud Lucretium: IV. 502 rationis egentem; cf. III. 44 rationis egere. (Verg. a. XI. 393 nec vocis egentem; Ov. met. XV. 150 rationis egentem), videtur igitur ad Ennium redire, qui sensum ex Homero transtulit.

37) Etiam quod Servius ad versum
a. XI. 601: tum ferreus hastis
horret ager campique armis sublimibus ardent.

---

53) Cf. praeterea Servium ad a. V. 591 ‚est autem versus Catulli' (v. infra p. 72); etiam quae verba faciat de versu integro a Varrone ex Annalibus translato (a. X. 396) v. p. 55.

dicit: ‚est autem versus Ennianus' ‚recte Vahlen (Var. 41) comparato Macrobio (VI. 4. 6) hoc pertinere censet ad ‚Scipionis' versum:

sparsis hastis longis campus splendet et horret.

b) de locis amplioribus.

α) de locis quorum exemplaria servata sunt.

Locos quosdam Ennianos, quos imitatus est Vergilius, affert Macrobius in secundo capite libri VI. 2. §§ 16—28; componit locos, ‚ut unde formati sint, quasi de speculo cognoscas'. Hos inspiciamus accuratius, unde colligamus, quid de aliis, quorum exemplaria non supersunt, iudicandum sit; excludere liceat ad tempus illos locos (§ 28), quibus praeter Ennianum etiam Homericum exemplar Vergilio praesto fuisse testatur auctor Macrobiani libri V.

1) (§ 16) a. XI. 425 ∾ A. 287. Vergilius cum faceret Turnum suos ad bellum adhortantem, in orationem contexuit sententiam quandam, quam apud Ennium qui protulerit, incertum est. (Vahlenius p. CLXXXIX: sententiam . . ab hac immensa calamitate removere nolui, sive ea consiliantibus diis a nescio quo sive postea deliberantibus Romanis, certe consolandi ac spei suscitandae causa elata est.)

Vergilium revera imitari Enni locum certe demonstratur duorum primorum verborum concinitate quae sunt: ‚multa dies'. Sed reliqua nova reddit Vergilius; vertit enim totam sententiam magis in bonam partem[54]), omisit, quod Ennius opponit verba ‚multa . . unus', omnia suo modo verbis exprimit.

2) Macrob. VI. 2. 27. a. VI. 179 ∾ A. VI. 187.

54) Sed non potest dubitari, quin Enni locum Macrobius non integrum tradiderit. Quid enim valeant verba ‚et rursus', demonstratur Vergili versibus: multos Fortuna illusit et rursus in solido locavit'. Ergo illi ‚et rursus multae fortunae . . recumbunt' contrarium antecedere debet respondens, ita ut Ennius dixerit: Unus dies multa efficit (‚conficit' enim indifferenter dictum est et de bonis et de malis): ‚Multae fiunt res secundae et rursus multae fortunae . . recumbunt. haud quaquam quemquam semper fortuna secuta est'.

Extensius de hoc loco egit Norden, a. VI. p. 183 sq., cuius verba ispse inspicias. Ut omnino poetae Latini arborum caedendarum descriptiones excolebant ita etiam Vergilius in hac re Ennium magis secutus quam Homeri simplicia verba (Ψ. 118) multis verbis rem tractat. Sed hic quoque Vergilius modum tenet; comprimit enim Ennianam descriptionem, quam postea Vergili imitatores amplificare student. Bene deinde, qualis sit ζῆλος Ἐννιανός, Nordenus docet; quamquam enim accurate Enniana exprimit, tamen magis exculta atque talia reddit, ‚ut quod apud illum legerimus alienum, melius hic quam ubi natum est sonare miremur' (Macr. VI. 1. 6). Apte utitur alliteratione et numeris; addit v. 181 docte cuneos, permutat ordinem, abietis loco ponit ornum montanam, Enni ‚fraxinus frangitur' metri causa exprimit verbis ‚fraxineaeque trabes'.

3) Macr. VI. 2. 18. a. II. 281 ∾ Alex. (Sc. 72).

Apparet locos e tragoediis attractos iam metri causa valde mutari debuisse. Quo fit, ut praeter prima verba (o lux Troiae ∾ o lux Dardaniae) et interrogationum ordinem sensu tantum similes sint loci. Occurrunt similes sententiae a. VI. 500, ubi item Enni ‚Alexandrum' Vergilium imitari veri simile est (f. Norden, p. 257). Sequuntur enim v. 515 verba ad ‚Alexandri' exemplum facta, quae sunt:

4) (§ 25) a. VI. 515. Cum fatalis e q u u s s a l t u s u p e r a r d u a venit.

P e r g a m a et armatum peditem g r a v i s attulit alvo.

Ennius in Alexandro (Sc. IX).

Nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus,
qui suo partu ardua perdat Pergama.

Elucet imitatio; atque laudat poeta hoc ut illo loco Cassandrae praeclaram vaticinium, cum Deiphobum apud inferos de Troiae interitu facit referentem.

5) Similiter res se habet alio loco (Macr. VI. 2. 21), ubi ‚Cresphontis' versus imitatus est Vergilius:

Sc. 131. Neque terram inicere neque cruenta convestire corpora
mihi licuit neque miserae lavere lacrimae salsum sanguinem.

quod compressum et additamento auctum sic reddit Vergilius:

a. IX. 486. ,nec tua funera mater
produxi pressive oculos aut vulvera lavi
veste tegens'.

His inspectis locis intellegimus Vergilium plerumque sensum tantum transtulisse, verborum interdum nonnulla iis locis, ubi perspicue Enni praeclaris versibus carmen suum vult ornare. Nunc inspiciamus eos

β) locos quorum exemplaria perierunt.

6) a. VIII. 631. (Lupae Romulum et Remum nutrientis imago describitur in clipeo ficta). S.: ,geminos huic] .. sane totus hic locus Ennianus est' (cf. Vahlen, p. CLXI et fragm. A. 68 sqq.).

Servi verba pertinere videntur ad quinque [55]) versus 630—634. Poeta igitur, ut solet, cum narret res Enniano poemate omnibus notas, verbis quibusdam et totius narrationis institutione Enni locum videtur laudare. (Cf. supra p. 43 sqq., 1)—8) et p. 60. 2) et sim. de Lucretio p. 53.) Tamen non veri simile est magnam fuisse similitudinem inter Vergili et Enni locum: videtur enim ex primo Annalium libro Macrobius versus cum Aeneide comparandos satis multos attulisse, ut tota hemistichia si hoc loco transtulisset Vergilius, vix futurum fuisset, ut in Macrobi collectione desiderarentur. In his autem vestigia Enniana videntur apparere: primum clausula, quae est: ,tereti cervice reflexam' proprie ad Ennium videtur redire, qui alio loco (A. 472) habet: ,caput a c e r v i c e r e volsum'; quem sequi videtur Lucretius I. 35 ,tereti c e r v i c e r e posta' et ceteri poetae dactylici, qui frequentant clausulam sic compositam: ,cervice re- — —' (Cf. Zingerle, Ovid u. s. Verh. z. d. Vorgängern. Innsbruck 1869 und 1871. II. p. 7.) Deinde verba, quae sunt ,corpore fingere lingua' fortasse ex Enni loco translata sunt: eandem enim vocem praebet

55) Cf. S. ad a. XII. 896, ubi ,totus locus' quinque versus significat (p. 15), g. III. 293, ubi quinque (p. 43), g. I. 175, ubi septem versus continet (p. 28).

Ovidius (Fast. II. 418 ,et fingit lingua corpora bina sua), qui in reliquis non concinit cum Vergilio, sed habet verba coniuncta atque eodem quo Ennis versus loco posita quae sunt ,lupa feta' (= A. 68 ,lupus femina feta' quod metri et consuetudinis causa mutavit). Ennium revera rettulisse de lingua lambente confirmatur aliquo modo Fabi Pictoris fragmento apud Dion. Hal. I. 79. 6 servato: *καὶ τῇ γλώττῃ τὸν πηλόν, οὗ κατάπλεω ἦσαν, ἀπελίχμα.*

7) Macrob. VI. 2. 32. ,Sunt alii loci plurimorum versuum quos cum paucorum immutatione verborum a veteribus transtulit; et quia longum est numerosos versus ex utroque transcribere, libros veteres notabo, ut qui volet illic legendo aequalitatem locorum conferendo miretur.... Item de Pandaro et Bitia aperientibus portas locus ⟨a. IX. 672 sqq.⟩ acceptus est ex libro quinto decimo Enni, qui induxit Histros duos in obsidione erupisse porta et stragem de obsidente hoste fecisse'.

Prima verba, quibus locos ,cum paucorum verborem immutatione' tanstulisse dicitur, nihil valere demonstratur ea re, quod praeter Ennium etiam Naevius inter haec exemplaria affertur, cuius versus Vergilius omnino non ,cum paucorum verborum immutatione' transferre potuit, cum Saturnii essent. Illa igitur verba, nisi forte a Macrobio ipso addita sunt ut in Pindarico loco (v. s. p. 31 sq.), fluxisse videntur e fonte primario Macrobi, quod statuimus fuisse obtrectatoris alicuius scriptum, non ex ipsis scholiis, quae collegisse videtur ille obtrectator. Hac re cognita cetera clara sunt: scilicet Vergilius hanc de Pandaro et Bitia narrationem non ipse invenit, sed ad exemplar Annal. l. XV finxit. Ergo fere eadem intercedit ratio inter ambos poetas atque in pestilentiae descriptione inter Lucretium et Vergilium (v. s. p. 48 sqq.). Etiam quanta fuerit — non in omnibus, at certe in partibus quibusdam — similitudo, intellegas licet ex illo loco (V. v. 806—814 ∼ A. XV. 401 sqq., Macrob. VI. 3. 1), de quo, cum accedat exemplar Homericum, infra agemus p. 77 sq.; fortasse etiam e Servi

ad v. 675 annotatione[57]) colligi potest hoc loco Ennium de viris suis dixisse illud: ‚succincti corda machaeris' (cf. Vahlen ad v. 400); quod Vergilius liberrime reddidit.

8) a. XI. 608. S. ‚intra iactum teli] et Enniana est omnis haec ambitiosa descriptio'.

Conferri potest ad a. XI. 858 notatio: ‚Homerica est ista descriptio' (v. s. p. 16, γ). Cum haec verba iam ad VII versuum locum pertineant, illo loco, ubi dicit de ‚omni' descriptione, ad plures videntur pertinere versus. Atque initium quidem Vahlen (A. 537, quem versum comparat Vergili versui 597) recte statuit v. 597; finis incertus est, sed cum tota descriptio continuetur usque ad v. 646, nescio, quid impediat, ne de hac tota parte Servi verba dici ponamus. Qualis fuerit illa imitatio, iam didicimus collatis aliis locis; sed casu evenit, ut etiam ipsius loci Enniani fragmenta comparare liceat cum Vergili duobus versibus. Alter est primus versus, 597. ‚At manus interea | muris Troiana | propinquat' quem redire recte statuit Vahlen (A. 537) ad Enni versum: ‚atque atque accedit | muros Romana | inventus'.

Deinde cum Servius annotet ad v. 602: ‚versus Ennianus' atque Macr. VI. 4. 6 cum eodem versu ‚horrendi' verbi causa comparet tres versus Ennianos, quis dubitet, quin horum simillimus locum habuerit in illa Enni descriptione? Qui versus est (Vahl. Varia 14):

‚sparsis hastis longis campus splendet et horret'

unde fecit Vergilius v. 601: ‚tum late ferreus hastis horret ager, campique armis sublimibus ardent'.

Hi duo versus, quamvis sint pauci, tamen satis multi sunt, unde qua arte et libertate Vergilius exemplaris sententias expresserit, intellegatur; in initio quidem perspicue ad Enni exemplar digitum intendit, sed summa opera atque arte opus erat, ut Enni rudes versus quasi poliaret et limaret.

---

57) S. ad v. 675 armati ferro: aut bene instructi armis aut ut Asper dicit ‚ferrea corda habentes' i. e. dura et cruenta cogitantes, ut Ennium sit secutus: succincti corda machaeris.

9) Postremo Ennium videtur Vergilius imitatus esse a. II. 486 ‚At domus interior' ubi Servius dicit: ‚de Albano excidio translatus est locus' (Vahlen A. 140 ‚sc. quod est apud Ennium'). ‚Locus' complecti videtur feminarum lamentationes (v. 486—490); cuius ultimum versum tamen Apollonio deberi Servius dicit. Sed cum Lucretius IV. 1171. similiter dicat: ‚et foribus miser oscula figit' atque Servius vv. 486 sqq. universe dicat esse Ennianos, conclusio certa est Vergilium v. 490 non ad Apolloni sed Enni exemplar finxisse. In aliis quoque rebus Enni elocutionem videtur secutus esse; sed Vergili polientis manus apparet.

Tot igitur versus et loci quibus Vergilius Ennium est imitatus, dubitationem non admittunt, quin quamvis multa debeat Vergilius Ennianae elocutioni ne unum quidem versum transtulerit integrum, locorum plerumque sensum tantum acceperit una cum verbis nonnullis exemplar perspicue indicantibus; Macrobius igitur et scholiastae totos locos Vergilium ab aliis transtulisse dicentes, ut rem apertam aperte eloquar, impudenter mentiti sunt.

3. De Lucilio.

Quamquam credas Vergilium poetam epicum omnino non in usum vocavisse Lucili saturarum poetae opera (Marx, C. Lucilii carminum reliquiae II. 3), tamen et Macrobius et Servius certa huius rei testimonia afferunt. Quorum plurimum valent hi duo versus:

1) e. VIII. 63. Dicite Pierides, non omnia possumus omnes

Macrob. VI. 1. 35 (M. fr. 218) Maior erat natu: non omnia possumus omnes

quae verba, ut redeant ad proverbium aliquod (Marx p. II 89) tamen sic formata Lucili sunt.

2) a. V. 422 magna ossa lacertosque exuit (Macr.: extulit).

Macrob. VI. 1. (fr. 547) magna ossa lacertique
apparent homini.

ubi Marx (II. p. 204): ‚Recte ponitur apud Macrobium Vergilium imitatum esse, cum scribat a. V. 422 . . ., Lucilii

hunc versum hypermetrum, qualem primus in litteris adhibere Latinis ausus esse videtur Lucilius. De pugilum autem apud Lucilium certamine agi indicat Vergilius imitator'.

Cum ergo his duobus locis Vergilius Lucilium adhibuerit, cur dubites de reliquis? Concedo quidem, quod illud:

3) g. II. 98 ,rex ipse Phanaeus' de Lucilio tractum esse Servius dicit (fr. 1131 *Χῖός τε δυνάστης*), tale quid etiam fingere potuisse Vergilium ad alius cuiusdam poetae exemplum; sed Marxio assentiri dubito, qui non Lucili, sed Enni exemplar sequi Vergilium dicat his locis:

4) a. IX. 227 consilium summis regni de rebus habebant.

DS: ,et est Lucilii versus uno tantum sermone mutato: nam ille ait:
⟨fr. 1.⟩ consilium summis hominum de rebus habebant'.

Quo cum loco statim coniungam alterum, ubi

5) ad Iovis in consilio deorum verba: a. X. 104, accipite ergo animis' Servius dicit: ,totus hic locus de primo Lucili translatus est libro' eqs.

Notatur igitur duobus Aeneidos locis Vergilium usum esse eodem Lucili loco ubi narrabatur deorum consilium. Atque apparet alterum argumentum altero ita confirmari, ut utrumque neglegere vel corrigere non audeas. Quaero etiam, cur Vergilius pugilatu Lucili usus deorum consilium imitari non potuerit. Immo demonstrari arbitror his duobus argumentis Vergilium non invenisse apud Ennium [59]) consilium deorum ita descriptum, ut sibi proponere posset exemplar, atque ideo Lucili inspexisse locum.

Quod paene totum versum inde sumpsit, non miramur comparatis duobus aliis versibus 1) et 2), quibus accedit ille versus, qui Lucreti nomine falso videtur traditus esse (de quo v. infra p. 81 sq.). Sed de loco illo 5) accuratius agi opus est. Pergit enim Servius: (a. X. 104) ,totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro, ubi inducuntur

---

58) Exstitisse deorum consessum in Ann. l. I. demonstratur Ov. met. XIV. 812 sqq., de Ann. VIII (Vahl. p. CXXXIX) minus certum est.

dii habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam ducis in republica, postea sententias dicere. sed hoc quia indignum erat heroo carmine, mutavit et induxit primo loquentem Iovem de interruptis foederibus, cuius orationem interrupit Venus, post secuta Iunonis verba sunt, quibus redarguit Venerem: unde nunc Iuppiter illud quod omiserat, reddit dicens: ergo quoniam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus accipite. DS: et hoc significant versus qui subsequuntur'.

Quaeritur, quos versus complectatur ,totus hic locus'. Marx (II, p. 3) scholion pertinere censet ad totum exordium libri Aeneidos X. Sed e Servi verbis hoc non sequitur; qui prima sententia nihil dicit nisi locum aliquem Vergili totum translatum esse de Luciliani libri primi consilio deorum; non dicit totum Vergili ,consilium formatum esse ad exemplar Luciliani: contra Lucili consilium, quocumque modo actum est, adeo dicit fuisse indignum carmine heroico, ut Vergilius totum mutaverit. Ergo cum fieri non possit, ut ad totum exordium libri X. Servi verba pertineant, sequitur, ut ad ipsum locum pertineant, cui annotationem ascribit Servius et ad quem longa illa notatio quasi excursu facto redit verbis: ,unde nunc Iuppiter illud quod omiserat, reddit dicens: ergo quoniam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus, accipite'.

Quaeritur deinde, utrum Servius dicat de versibus versum 104 antecedentibus an insequentibus an etiam de utrisque. Scholia enim modo ad initium, modo ad medium, modo ad finem locorum annotationem exhibent. Atque insequentem Iovis orationem vix similem fingere potuit Lucilius; sed qui antecedunt versus sane apud Lucilium similiter locum habuisse veri simile est:

v. 100 tum Pater omnipotens, rerum cui prima potestas,
infit; eo dicente deum domus alta silescit,
et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;
tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.
,accipite ergo animis atque haec mea figite dicta'.

Quae tota descriptio plane aliena est ab Homeri *A*. 528 sqq. (Macr. V. 13. 37) et ab Enni Scipione (v. 9 sq. p. 214 V.).

5*

Sed Lucilius locum suum de silentio mundi instituisse videtur ad Enni Scipionis exemplum; Vergilius autem magis videtur sequi Lucilium, poetam dactylicum, cui fortasse orationis prima verba debet, quae sunt: ‚accipite ergo animis'. Saepe enim lemmatis verba, ad quae Servius tales adnotationes applicat, maxime exemplar in mentem revocant.

Confirmatur denique haec nostra sententia comparato illo loco Lucretiano (g. III. 289 sqq. ~ L. I. 922 sqq.), quem tractavimus supra p. 43; ibi enim similiter Servius dicit ad ultimum versum 293: ‚hic autem locus totus de Lucretio translatus est', quae verba pertinent ad V versus antecedentes (cf. S. ad g. I. 175). Unde etiam, qualis sit illa translatio, intellexeris. Sensu igitur scholii recte accepto et inquisito non dubito, quin aliquid veri contineat nec sit compositum a furtorum scriptore (Marx, p. 3), praesertim cum auctor scholii iudicio non videatur carere, ut qui, quid indignum sit heroo carmine, sentientem se praebeat.

4. De Naevio.

Naevi carmen epicum et ab Ennio in usum vocatum et a Cicerone magni aestimatum esse novimus e Cic. Brut. 75. Quamquam igitur dubium non est, quin Vergilius quoque Naevi opera inspexerit, tamen neque singularibus nominibus, quae Macrobius (VI. 8 et 9) e Naevio aliisque poetis affert, hoc satis demonstratur neque uno hemistichio e. III. 49 ‚numquam hodie effugies', quod e Naevi ‚Equo Troiano' sumptum esse Macrobius (VI. 1. 38) testatur: illa enim per alios poetas ad Vergilium tradita esse probabilius est; verba sic coniuncta: ‚numquam hodie' sermoni latino frequentata est locutio (cf. Brix-Niem. ad Plaut. Men. 1010). Sed ponendum est Vergilium ubi easdem res narraret ‚Bellum Punicum' sibi posuisse exemplar. F. Noack (Herm. XXVII. p. 435 sqq. Die erste Aeneis Vergils.) etiam demonstrare conatur Vergilium in gravissimis librorum I, IV, VI rebus et in fine libri II. Naevi vestigia pressisse: ‚die eigentliche poetische Erfindung, der schöpferische Gedanke aber, mit dem des Werkes bester Teil schon ge-

lungen ist, in diesen vier Büchern der Aeneis ist nicht von Vergil, sondern von Naevius'.

Sane Vergilius ea sequi solebat, quae ab antiquis poetis tradita erant. Constat Naevium res ante bellum Punicum gestas narravisse in duobus primis libris, Aeneae errores et adventum in Italiam in l. I, Romam conditam in l. II. Sed num Aenean fecerit ad Africae litora depulsum[59]) ibique Didoni de erroribus referentem amoremque incitantem, haec omnia dubia sunt. Quod enim servatum est illud fragmentum (24. B.) ,blande et docte percontat', non Dido videtur percontare, sed Latinus hospes, quia ad l. II fragmentum pertinet, Aeneas autem iam in l. I in Italiam pervenit. De Didone, quam Vahlen et Noack ,totam Naevianam' esse credunt, nihil habemus testimonii nisi illud Servi (ad IV. 9): ,cuius filiae fuerint Anna et Dido, Naevius dicit' (cf. . Heinze l. l. p. 113 ann. 1., cuius sententiam comprobo etiam in reliquis).

Inspiciamus igitur, quae tradita sint de Naevio Vergili exemplari. Gravissimum testimonium debemus Macrobio (VI. 2. 31.): ,In principio Aeneidos tempestas describitur ⟨I. 81 sqq.⟩ et Venus apud Iovem queritur de periculis filii ⟨I. 226 sqq.⟩ et Iuppiter eam de futurorum prosperitate solatur ⟨I. 254 sqq.⟩; hic locus totus sumptus a Naevio est ex primo libro Belli Punici; illic enim aeque Venus Troianis tempestate laborantibus cum Iove queritur et secuntur verba Iovis filiam consolantis spe futurorum'. Hoc videtur augeri commentarii aucti ad v. 198 annotatione, ubi Aeneas describitur suos adhortari: ,o socii: et totus hic locus de Naevi I° (sic recte Baehrens fr. 16) belli Punici libro translatus est'. Sed miror, quod Macrobius, qui multis verbis agit de tota imitatione, et in Vergili loco describendo et in Naevi carmine adumbrando tempestatis quidem et deorum collocutionis mentionem facit, hunc autem locum, ubi Vergilius suos adhortatur, silentio praeterit. Quod miror eo magis, quia Macrobius et commentarius auctus, ut qui paene iisdem verbis rem notent, eidem fonti scientiam

59) Ut fides sit commentario aucto ad a. I. 198, tamen dubium est, an etiam in Africa Naevius fecerit Vergilium socios consolantem.

videntur debere. Itaque, quamquam certioribus argumentis concedo me carere, conicio per errorem factum esse, ut auctor commentarii aucti notam poneret ad v. 198 ,o socii', cum ponere vellet ad v. 229 ,o qui res'.

Sed ut ea omnia formaverit Vergilius ad Naevi exemplar, quanta fuerit similitudo, ex his rebus licet cognoscas: primum Naevius usus est versu Saturnio, Vergilius dactylico; ergo paene eadem ratio inter eos intercedit atque inter poetam et scriptorem orationis solutae. Deinde compares duo fragmenta:

14 B. patrem suum supremum optumum appellat
∾ V. 227. atque illum talis iactantem pectore curas
tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
adloquitur Venus.
fr. 15. B. summe deum regnator, quia nam genus isti.
(genuisti? huc rettulit L. Mueller).
V. 229. O qui res hominumque deumque
aeternis regis imperiis e. q. s.

Eandem discrepantiam etiam antiquis interpretibus quibusdam notabilem fuisse intellegimus ex commentarii aucti ad a. II. 797 verbis: ,Sane adamat poeta ea quae legit diverso modo proferre. Naevius belli Punici primo de Anchisa et Aenea fugientibus haec ait: »eorum sectam sequuntur multi mortales« ecce hoc est »invenio admirans numerum«; »multi alii e Troia strenue viri« ecce hi sunt »animis parati«; »ubi foras cum auro illic exibant« ecce »et opibus instructi«'. Cf. ad initium l. III. (v. 10): ,amat poeta quae legit immutata aliqua parte vel personis ipsis verbis proferre[63]). Naevius enim inducit uxores Aeneae et Anchisae cum lacrimis Ilium relinquentes his verbis: »amborum uxores noctu Troiade exibant, capitibus opertis flentes ambae abeuntes lacrimis cum multis«; hoc iste Aenean eodem in tempore eiusdem rei causa inducit

---

60) Locus corruptus est; coniunctis ambobus scholiis sensus elucet; quorum prior pertinet ad diversam elocutionem, alterum ad diversas personas. Ergo scribendum est: ,amat poeta quae legit immutata aliqua parte — vel personis ipsis vel verbis — proferre'.

fecisse, cum dicit: »litora cum patriae lacrimans portusque relinquo«'.

Haec omnia optime illustrant, quae ratio inter Vergilium et Naevium intercedat. Accedit denique, ut auctor Macrobiani libri V. et tempestatem et sociorum adhortationem ad Homeri exemplum reducat.

5. De poetis reliquis.

a) de poetis dactylicis.

Afferuntur in exemplarium numero hi poetae dactylici: Hostius, Furius Antias, Catullus, L. Licinius Macer Calvus, Varro Atacinus, Varius, Cornelius Gallus; Atque de Hostio et Varrone Atacino infra agemus, ubi loci quidam tractabuntur, quibus complura exemplaria Vergilio ante oculos fuerunt.

Furi, qui Enni Annales videtur porro usque ad aetatem suam duxisse, versus quosdam imitatus est vel partim transtulit Vergilius: (Macr. VI. 1. 31—34)

§ 31. a. IV. 585 ‚linquens Aurora cubile'; ergo ad solem orientem pertinet (v. s. p. 41 et 57).

§ 32. a. I. 539. Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barbara morem
permittit patria

Furius in VI: Quod genus hoc hominum, Saturno sancte create?

§ 33. a. XII. 228. Rumoresque serit varios ac talia fatur.

Furius in X. Rumoresque serunt varios et multa requirunt.

§ 34. à. XI. 731. Nomine quemque vocans reficitque ad proelia pulsos.

Furius in XI. Nomine quemque ciet: dictorum tempus adesse commemorat.
deinde infra:

Confirmat dictis, simul atque exuscitat acris
ad bellandum animos, reficitque ad proelia mentes.

Ergo etiam ab hoc poeta epico Vergilius aliquid accepit.

Sueium Vergilius omnino non imitatus esse videtur. Nam quod Macrobius affert:

(VI. 1. 37) a. VIII. 90. Ergo iter inceptum peragunt rumore secundo.

Sueius in l. V: redeunt referunt petita rumore secundo

hac voce quae est, rumore secundo' iam Ennius usus est Ann. 255. Etiam (Macrob. VI. 5. 15) a. IV. 71. ,volatile ferrum' vix e Suei carmine (V. volatile telum) ortum est.

Catulli carminis LXIV. tres loci comparantur cum Vergili versibus: una clausula versus: e. IV. 46 currite fusis ~ C. 327 currite fusi (Macr. VI. 1. 41) Deinde Didonis desertae feminae verba:

a. IV. 657. Felix heu nimium felix, si litora tantum
numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae

apte comparantur (§ 42) v. 171 sq.:

Iuppiter omnipotens, uti nam non tempore primo
Gnossia Cecropiae tetigissent litora puppes.

Sed diverso modo Vergilius eundem sensum verbis exprimit.

Postremo ad a. V. 591 ⟨fertur Labyrinthus
mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi⟩
falleret indeprensus et irremeabilis error.

quamquam immoderate Servius dicit: ,est autem versus Catulli' tamen verbis, quae sunt ,irremeabilis error' Vergilius imitari vel superare videtur illud Catulli (v. 114):

ne labyrintheis e flexibus egredientem
tecti frustraretur inobservabilis error.

Conferri possunt similes de Ennio notationes (imprimis S. ad a. VI. 219) neque opus est novum fragmentum ponere ut Lachmannus fecit in Catullo (fr. 6. p. 83).

Calvi ,Ius' Servius, qui saepius poetam laudat, bis in Eclogis notat imitationem. Itaque discimus illud hemistichium

e. VI. 47. ,Ah virgo infelix, quae te dementia cepit

translatum esse ex Calvi Io: ,Ah virgo infelix, herbis pasceris amaris'; praeterea

e. VIII. 4 et mutata suos requierunt flumina cursus similiter dictum esse atque Ius illud:

Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.

Cf. Skutsch Gallus u. Vergil p. 55.

Huc accedunt scholia Bernensia ad g. II. 94:

⟨vitis⟩ temptatum pedes olim victuraque linguam. ,hoc versus de Calvo poeta transtulit; ait enim ille: »lingua vino temptantura et pedes«'. Perspicue igitur alludit Vergilius ad Calvi verba. Sed vide, quam immoderate dictum sit illud: ,hos versus transtulit', cum uno versu poetam Calvi sententiam imitatum esse appareat.

Iam **Varius** et Cornelius Gallus sunt in Vergili aequalium atque amicorum numero. L. Varius Rufus carmen epicum scripsit Caesari dedicatum, quod inscribitur ,de Morte'. Quod carmen quomodo Vergilius imitatus sit, perspicere licet ex iis locis, quos Macrobius (VI. I. §§ 19, 20, 39. 40) servatos componit cum Vergili versibus.

1) (§ 19) g. III. 115. Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
impositi dorso atque equitem docuere sub armis
insultare solo et gressus glomerare superbos.

Varius: Quem non ille sinit lentae moderator habenae
qua velit ire, sed angusto prius ore coercens
insultare docet campis fingitque morando . .

Imitatio proditur maxime verbo ,insultare'. Sed partim eundem sensum novis verbis exprimit Vergilius, partim nova adicit.

2) (§ 20) e. VIII. 85 Talis amor Daphnin qualis cum fessa iuvencum
per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
propter aquae rivum viridi procumbit in ulva
perdita nec serae meminit decedere nocti.

Varius: Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem
si veteris potuit cervae comprendere lustra
saevit in absentem et circum vestigia lustrans
aethera per nitidum tenues sectatur odores

non amnes illam medii, non ardua tardant;
perdita nec serae meminit decedere nocti.

— Apparet totos locos vix posse comparari, quia Vergilius comparationem facit de bucula iuvencum sedulo quaerente, Varius de cane cervam assidue persequente; etiam clarum est Vergili comparationem e Theocriti id. II. 48 sqq. acceptam ad Lucreti (II. 355 sqq.) exemplum formatam esse. (Cf. Iahn, Progr. Kölln. Gymn. Berl. 1899. p. 17 sq.) Sed ‚sciens' huic comparationi applicat unum versum, quem totum e Vari loco transtulit: quo facto amico honorem afferre studuit.

Similiter res se habet tertio loco:

3) (§ 39) a. VI. 622. Vendidit hic auro patriam dominumque potentem
imposuit: fixit leges pretio atque refixit

Varius: Vendidit hic Latium populis agrosque Quiritum
eripuit: fixit leges pretio atque refixit.

— Vergilius genera quadam hominum scelestorum afferens, qui in Tartaro poenas perferant, illo versu cogitare videtur de M. Antonio, ut testatur Servius: ‚possumus Antonium accipere, secundum Ciceronem in Philippicis, ubi ait: leges refixisti ...' Quam explicationem comprobat Norden (ad v.), praesertim cum etiam Vari versus ad Antonium spectare videantur; porro iudicat bene de tota imitatione: ‚Durch das fast wörtliche Citat der berühmten Verse seines verehrten Freundes machte Vergil diesem nach der bekannten Sitte hellenistischer Dichter ein Compliment, wie Properz II. 34. 67 ff. seinerseits dem Vergil durch Citate aus den Bucolica'. Atque mira arte Vergilius duorum versuum mediam partem novis verbis complevit, reliqua servavit.

4) (§ 40) g. II. 506. Ut gemma bibat et Sarrano dormitat ostro.

Varius: Incubet et Tyriis atque ex solido bibat auro.

— Vergilius igitur Vari pulchram sententiam pulchriorem studet reddere.

Collatis igitur quattuor locis Varianis intellegimus duos amici locos Vergilium suis verbis reddidisse (1) et 4)), bis singulos deinde versus ad verbum transtulisse, altero

loco, cum de eadem re referret, altero cum loci tantum similes essent.

Similem rationen intercessisse ponendum est inter Vergilium et **Cornelium Gallum**, cui ille etiam dedicavit eclogam X. Neque potest dubitari, quin in hac ecloga aliquot versus Galli modo suo laudaverit; dicit enim S. ad. v. 46 nec sit mihi credere tantum: ‚hi autem omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus‘.

Ad quot versus pertineant Servi verba difficile est statuere, cum varius sit usus scholiorum. Sed carmen in conexu inspicienti probabile est Servium illud non de pluribus versibus intellegi velle quam de quinque vv. 44—49. (Cf. Leo, Herm. XXXVII, 18. De numero versuum v. supra p. 62 ann. 55.) Nec potest dubitari, quin Vergilius etiam hoc loco eosdem fines sibi posuerit atque intelleximus in ceteris poetis Latinis imitandis, Servi igitur de Gallo verba non plus valeant quam de Lucretio, Naevio, Calvo — ut locos afferam, ubi similibus verbis utitur Servius atque hoc loco —; unum concedo Vergilium cum optime intellegi vellet se laudare amici versus, hic illic perspicuis verbis vel etiam toto versu translato discerptove ut Varium sic Gallum honoravisse. Neque ergo Vergilium hexametros apud Gallum inventos totos transtulisse ponendum est neque disticha simpliciter in hexametros mutavisse (Skutsch l. l. p. 24), sed, ut solet, perspicua imitatione novos versus finxisse. Servi igitur testimonium cum aliis similibus comparandum est, ut quid valeat eluceat [61]). (Skutsch l. l. p. 25).

b) de poetis scaenicis.

Multas operis sui epici sententias quin Virgilius debeat tragicorum poetarum studio non potest dubitari. Quae tradita sunt de hac re, nunc inspiciamus. Iam locuti

61) Hac de causa comparavimus locos tantum, quos ‚translatos‘ esse scholia dicunt; non, ut hoc afferam, Varronem Atacinum, de quo aliis verbis utitur Serv. ad g. I. 375 (v. p. 84). Cf. etiam, quae verba faciat Servius ad a. X. 396 de versu integro a Varrone ex Annalibus translato.

sumus de illo hemistichio, quod e Naevi ‚Equo Troiano' Vergilius accepisse dicitur: e. III. 49 ‚numquam hodie effugies' (v. p. 68), et de Enni tragoediarum sententiis: a. II. 241, 274 (v. p. 59), 281 (p. 61) VI. 515 (p. 61) IX. 486 (p. 62) V. 302 (p. 62) Praeter verba quaedam a Pacuvio primo usitata (Macr. VI. 5. 14; Serv. ad a. I. 55 et IX. 664) atque unum sermonem Macrobio teste (VI. 1. 36) e Pacuvi ‚Medea' translatum, qui est: a. IX. 416 ‚diversi circumspiciunt' ~ P. ‚diversi circumspicimus', scholia ad a. IV. 470 (473) notant Vergilium sequi Pacuvi ‚Orestem' et aliam Pacuvi sententiam ad a. XI. 259, ubi dubium est num Vergilius illius meminerit. Acci loci quidam componuntur a Macrobio VI. 1, 56—59 (a. X. 449. II. 79. XII. 435. IV. 371) et 2, 17 (a. XII. 19.), quibus locis omnibus tantum similem sensum Vergilius praebet. Uno loco perspicue laudat Acci sermonem; quem locum notat commentarius auctor: a. IX. 622 ‚nervoque obversus equino contendit telum'. DS.: Accius in Philocteta: ‚tendens nervo equino concita tela' — Singularia verba notant Macr. VI. 5. 2 et 11, Schol. Veron. ad a. VIII. 28.

His collectis locis probabile est Vergilium operi suo tales sententias e fabulis antiquis translatas saepius inseruisse [62]); quas deperditis exemplaribus non possumus cognoscere. Sed apparet etiam Vergilium eas quam liberrime transformavisse.

C. De locis, quibus Vergilio et Graecum et Latinum exemplar praesto erat.

Constat Vergilio cum poetas Graecos imitaretur, interdum iam antecessisse poetas Latinos. Quo fit, ut nonnullis locis libri Sat. VI. auctor, ut qui studeat quam plurimis locis ostendere Vergilium Latinos poetas esse secutum, dissentiat vel a libri V. auctore, qui eadem ex Homero accepta esse contendat vel ab iis, quae in scholiis tradita sunt.

62) Cf. Norden ad a. VI. 500 p. 257 quamquam videtur extra modum procedere.

I. De Homero et Ennio aliisque poetis Latinis.

1) a. X. 100 Macr. VI. 2. 26: ~ Ennius in Scipione (9. p. 214). Macr. V. 13. 37. ~ Hom. *Λ*. 528 sqq. De hoc loco supra diximus p. 67; demonstrare conati sumus hos ipsos versus de silentio mundi ad Lucilium redire.

2) a. II. 416. Macr. VI. 2. 28. ~ Ennius A. XVII (444) Macr. V. 13. 14. ~ Hom. I. 4. II. 765.

Ennius quidem imitatus esse videtur Homeri Il. *I*. 4 sqq.; sed Zephyri loco posuit Austrum Aquiloni adversarium, quia totius comparationis causam mutavit. Homerus enim ventos delegerat non adversarios (Borean et Zephyrum), cum comparatio non concursu contineretur, sed concitatione.

Vergilius autem in hoc consentit cum Homeri l. *Π* et Enni Annalibus, quod comparatione utitur de viris inter se pugnantibus; atque etiam ventos affert eosdem, quos Homerus in l. *Π*, Eurum et Notum, quibus minus apte addit Zephyrum; etiam quod silvarum mentionem facit stridentium, meminisse videtur Homeri l. *Π*, deinde cum de mari commoto loquitur, in re quidem consentit cum Homeri Il. *I* et Enni loco, minime in verbis et descriptione. Ergo quas affert Vergilius sententias, eae in plerisque congruunt cum Homeri carmine; Enni autem imitatio adeo non proditur, ut alii sint venti, novae partim sententiae, plane diversum narrandi genus. Quibus rebus satis mihi videtur demonstrari Vergilium Enni exemplar aspernatum ex iis, quae apud Homerum legerat, suo modo comparationem composuisse. Ergo libri VI auctori in hac re fides non est.

3) a. IX. 806 sqq.

Macrobius, qui de sequentium locorum collectione dicit in prooemio ad cap. III. (cf. disposit. I. 7.): ‚sunt quaedam apud Vergilium, quae ab Homero creditur transtulisse, sed ea docebo a nostris auctoribus sumpta, qui priores haec ab Homero in carmina sua transtulerant‘, locis Homeri (*Π*. 102—111) et Enni (A. 401—408) exscriptis Vergili locum comparat his verbis: ‚hinc Vergilius eundem locum de incluso Turno gratia elegantiore composuit‘, Contra

commentarius auctus ad verba, quae sunt ‚tempora circum‘ dicit: ‚totus locus Homeri est‘. Sane utriusque poetae loci ad Homerum redeunt:

Ennius A. 401—408.	Homer. Il. *Π*. 102—111.	Vergil. a. IX. 806—813.
—	102. *Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε.*	cf. 806. Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum nec dextra valet.
401. undique conveniunt velut imber tela tribuno.	*βιάζετο γὰρ βελέεσσιν.*	807. iniectis sic undique telis obruitur.
—	103. *δάμνα μιν Ζηνός τε νόος καὶ Τρῶες ἀγανοὶ βάλλοντες.*	—
403. <tinnit> aerato sonitu galeae.	104. *δεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινὴ.* 105. *πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε.*	808. strepit assiduo cava tempora circum tinnitu galea <et saxis solida aera fatiscunt>.
— .	*βάλλετο δ' αἰεὶ* <106> *κὰπ φάλαρ εὐποίηθ'.*	810. discussaeque iubae capiti.
cf. 402. configunt parmam, tinnit hastilibus umbo.	106. *ὁ δ' ἀριστερὸν ὦμον ἔκαμνεν ἔμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον.*	Cf. 810. nec sufficit umbo ictibus.
403. sed nec pote quisquam undique nitendo corpus discerpere ferro.	107 sq. *οὐδ' ἐδύνατο ἀμφ' αὐτῷ πελεμίξαι ἐρείδοντες βελέεσσιν.*	Cf. 811. ingeminant hastis et Troes et ipse fulmineus Mnestheus.
cf. 406 ²). multumque laborat.	109. *αἰεὶ δ' αργαλέῳ ἔχετ' ἄσθματι.*	—
406 ¹). totum sudor habet corpus.	*κατ' δέ οἱ ἱδρὼς πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔρρειν.*	812. tum toto corpore sudor liquitur.
407. nec respirandi fit copia.	110. *οὐδέ πῃ εἶχεν ἀμπνεῦσαι.*	813. nec respirare potestas.
—	111. *πάντῃ δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο.*	—

Intellegitur ex hac comparatione: 1) In ordine singularum rerum Vergilius subtiliter congruit cum Homero, praeterquam quod nonnulla praetermittit. Omnia, quae affert Vergilius, ad Homeri exemplum reduci possunt, quamquam nonnulla valde mutavit (810 et 811). 2) In ordine Ennius dissentit ab Homero (403. 402. 406.); multa etiam inseruit. 3) Vergilius commune habet cum Homero unum, quod desideramus apud Ennium: v. 810 ∾ *Π*. 105 sq.

de iuba. Unde maxime sequitur Vergilio Homeri locum ante oculos fuisse. 4) In sermone Vergilius propius accedit ad Homerica quam Ennius his versibus: 807. telis obruitur, 808. tempora circum 812. linquitur. 5) Haec sunt verba Vergilio et Ennio communia: V. 807: undique .. tela ∾ 401. undique telis; 808. tinnitu ∾ 402. tinnit; 810. umbo ∾ 402. umbo; 812. toto corpore sudor ∾ 406. totum sudor (habet) corpus; 813. nec respirare ⟨potestas⟩ ∾ 407. nec respirandi ⟨fit copia⟩.

Ergo Vergilius, ut solet, sententias Homericas modo accurate ad verbum modo liberrime transtulit; Enni autem locum omnino non via et ratione imitari studuit, sed hic illic eius verborum videtur meminisse. Utroque igitur exemplari usus est, et Graeco et Latino.

4) a. XI. 492.

(Macr. VI. 3. 8): Ennius A. 514—518.	(id.) Homer. Z. 506—511. (S.)	Vergil. a. XI. 492—497.
514. Et tum sicut equus.	506. ὡς δ' ὅτε τις (στατὸς) ἵππος.	492 Qualis ubi (abruptis) fugit praesepia (vinclis).
qui de praesepibus fartus.	ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ.	—
515. vincla (suis magnis animis) abrupit.	507. δεσμὸν ἀποῤῥήξας.	492. abruptis vinclis 493. [tandem liber] equus.
et inde fert sese campi (per caerula laetaque prata).	θείῃ πεδίοιο [κροαίνων].	campoque potitus aperto.
—	508. εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο.	495. aut adsuetus aquae perfundi flumine [noto emicat].
Cf. 515. suis magnis animis.	κυδιόων.	497. luxurians.
517. celso pectore.	509. ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει,	496. arrectisque [fremit] cervicibus alte.
saepe iubam quassat simul altam.	ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀΐσσονται.	luduntque iubae [per colla] per armos.
516. (et inde fert sese campi) per caerula laetaque prata.	510. ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νόμον ἵππων.	494. aut ille in pastus armentaque tendit equarum.
spiritus ex anima calida spumas agit albas.	—	—

S. ad. a. XI. 492: ‚etiam haec comparatio Homeri est verbum ad verbum translata‘.

Apparet ex hac comparatione: 1) In ordine uterque poeta satis congruit cum Homero, nisi quod uterque nonnullarum rerum locum mutat. 2) Et habet Vergilius una cum Homero, quod deest apud Ennium (495 = Z 508) et deest apud Vergilium, quod praebent Ennius et Homerus (A. 514. fartus = ἀκοστήσας). 3) In sermone Vergilius proprius accedit ad Homerum quam Ennius his locis: V. 497. luxurians. 496. arrectis fremit cervicibus. 497. luduntque iubae per colla. 494. armenta .. equarum. 4) cum Ennio concinit Vergilius, primum quod praetermisit Homerici loci finem 511 sq., deinde quod Homeri versum 510 non in fine posuit, sed in media loci parte, tertium quod iisdem verbis usus est: ‚abruptis vinclis‘ ~ vincla abrupit; ‚praesaepibus‘; ‚iuba‘. His omnibus una pensatis colligimus Vergilium praeter Homericum locum etiam Ennianum ante oculos habuisse. 5) Nonnulla [ ] denique addidit Vergilius ex suo ingenio.

His rebus consideratis certe falso iudicare Macrobi auctorem apparet; sed ne Servius quidem recte dicit ‚verbum ad verbum translatam‘ esse Homeri comparationem: Vergilius Homerum quidem imitatus est, interdum etiam ad verbum: sed et delegit et mutavit et auxit.

5) a. X. 361.

Macr. VI. 3. 5. ‚Homerus ait: (*N.* 131) *ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.*

Furius in quarto annali: pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir. hinc Vergilius ait: haeret pede pes densusque viro vir‘. Contra Servius dicit: ‚et est Homeri versiculus‘. Item auctor Sat. l. V. (13. 27) Homeri locum affert.

Macrobius cum laudet Furium, neglegit, quod iam Ennius versum Homericum Latinis verbis expresserat; quem versum Vahlen A. 572 sic restituit: pes premitur pede et armis arma teruntur. Sed maluerim scribere cum L. Muellero:

(Tum) premitur pede pes atque armis arma teruntur

(nisi forte iam Ennius dixit, quod Furius praebet: ‚pressatur'). Paene enim certe demonstratur et Furi et Vergili versibus verba ‚pede pes' sic coniuncta fuisse apud Ennium. Dubium est, an Ennius illud: ‚viro vir' fortasse etiam in insequentibus habuerit; sed probabile est, cum Homeri versum imitatus illud ‚pede pes' non substituisse, sed addidisse videatur; utrumque enim postea Furius et Vergilius coniungunt. Sed quocumque modo res se habet, illum versum, qui ab Homero inventus et a Latinis poetis translatus iterumque formatus iam ex antiquis temporibus publici iuris erat apud poetas epicos, etiam Vergilius maxime compressum ad carmen suum exornandum adhibuit.

6) Similiter res se habet alio versu:

g. II. 43 et a. VI. 625. Non mihi si linguae centum sint oraque centum,

Ferrea vox. De quo versu haec traduntur:

1) Macr. VI. 3. 6. Homeri est: ⟨B. 489⟩ *οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.*

hunc secutus Hostius poeta in l. II. belli Histrici dicit: non si mihi linguae

centum atque ora sient totidem vocesque liquatae.

hinc Vergilius ait: Non .. centum.

2) Contra Macr. V. 7. 16. comparat solum Homeri B. 488—490.

3) Aliter Servius ad. a. VI. 625 dicit: Lucretii versus sublatus de Homero, sed ‚aera' vox dixit. (Similis notatio est g. II. 43, ubi falsum lemma et ‚aenea' iam correxit Lachmannus: ‚Lucretii versus, sed ille ‚aerea' vox ait, non ferrea').

4) Huc accedunt scholia Veronensia et Bemensia, quae Ennium laudant: Sch. Ver. g. II. 43. ‚Homericus sensus Graeci poetae sicut et Ennius ⟨cf. Vahlen A. 561⟩:

Non si lingua loqui saperet *quibus* ora decem sint
In *numerum*, ferro cor sit pectusque revinctum'.

Schol. Bern.: ‚non mihi] et reliqua. Homericus sensus; sic etiam Ennius: Ora decem'.

Ergo ante Vergilium imitati erant Homerum Ennius, Hostius, tertius, qui non Lucretius, sed Lucilius videtur

esse (apud Lucretium enim ille versus non exstat cf. L. Muelleri Lucil. p. 159. VII., Marx Lucil. II. p. 433 (I. p. LIX) Lucr. pro Lucil. saepe: Luc. 942. 1118. 1145. 1260. 1306. Marx ad 1311. 1358. 1364. 1367. Varro l. l. V. 17). Ennius illum Homeri versum multis verbis videtur reddidisse, deinde Hostius iam minus moderate pro decem linguis posuit centum, Lucilius sententiam in unum versum, ut Homerus, videtur compressisse. Hunc Lucili versum, si quidem Servio fides est, totum transtulit Vergilius addita voce ‚ferrea' pro ‚aerea'. Hic ergo secundus est versus ad verbum a Vergilio translatus[63]) (cf. p. 73sq. de Vario); videtur enim Vergilius ipse hunc praedarum versum pulchriorem reddere non potuisse. Num Hosti versum, quem affert Macrob. VI, omnino noverit Vergilius, dubium est.

II. De Varrone Atacino.

Quoniam intelleximus in locis amplioribus Vergilium non solum praeter Enni exemplar Homeri ipsius locum inspexisse, sed etiam maxime Homerum secutum Enni tantum elocutionem hic illic videri accepisse, deinde solos versus quosdam praeclaros et apud poetas Latinos iam dudum frequentatos aut compressos aut integros, ut videtur, transtulisse: nunc inspiciamus, quae rationes intercesserint inter Vergilium et Varronem Atacinum. Quem in Ephemeride' sua Arati Phaenomena, in ‚Argonautis' Apolloni Rhodi Argonautica, in ‚Chorographia' Eratosthenis de zonis locum transtulisse ante Vergilium in poesin Latinam constat.

1) In Georgicis, ubi Vergilium Arati Phaenomena sequi diximus p. 29sq., Varronis versibus usum esse Vergilium testatur commentarius auctus:

---

63) Videtur quidem una effici discrepantia voce ‚ferrea', ut cetera integra sint translata. Tamen hoc dubium esse moneo comparato versu a. XII. 115: Solis equi lucemque elatis naribus efflant. S.: ‚Ennianus versus est ordine commutato: funduntque elatis naribus lucem'; ubi non ordinem solum, sed etiam verba mutata esse apparet.

g. I. 375. aut bucula caelum
suspiciens patulis captavit naribus auras
aut arguta lacus circumvolitavit hirundo.
et veterem in limo ranae cecinere querelam
saepius et tectis penetralibus extulit ova
380. angustum formica terens iter . .
383. Iam varias[64]) pelagi volucres et quae Asia circum
dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri
certatim largos umeris infundere rores
nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas
et studio incassum videas gestire lavandi.

DS ad v. 375. hic locus de Varrone est; ille enim sic:
tum liceat pelagi volucres tardaeque paludis
cernere inexpletas studio certare lavandi
et velut insolitum pennis infundere rorem
aut arguta lacus circumvolitavit hirundo.

*

et bos suspiciens caelum — mirabile visu —
naribus aerium patulis decerpsit odorem
nec tenuis formica cavis non evehit ora.

Cf. Arat. Phaen. 941 sqq.

Huc accedit aliud scholium ad g. I. 397 ‚tenuia nec lanae per caelum vellera ferri' Brev. expos. (Hagen, App. Serv. p. 265: Varro in Epimenide: ‚nubes vellera lanae stabunt' (‚spargunt' corr. Leo Herm. 37. 52) sicut et Aratus ⟨339 (νέφεα) οἷα μάλιστα πόκοισιν ἐοικότα ἰνδάλλονται⟩.

Varro igitur iam transtulerat Arati versus magna cum arte nec simpliciter Latine verterat (cf. Leo l. l.); videtur quidem Arati ordinem tenere — delegit enim DS duos eius locos (= Arat. 942—944 et 954—956) ita, ut lacuna sit inter v. IV. et V. —, sed libere auget Aratea versu III. et V. (‚mirabile visu'). Vergilius totum ordinem commutavit; deinde cum verbis saepe usus est Varronis tum unum versum totum ad verbum transtulit. Exemplar igitur quamquam valde studuit mutare et augere (vide supra p. 64), tamen magis in usum suum exhausit quam

64) ‚Varias' veram esse lectionem, non ‚variae' (Ribb.) maxime demonstratur comparatis Varronis versibus.

omnibus adhuc locis ab eo factum vidimus. Etiam fortasse colligas Vergilium neglecto ipso Arato solum Varronis carmen — quod fortasse omnia tempestatis signa continuerit (cf. v. 397) — aliter formatum reddidisse. (Cf. Skutsch, Aus Vergils Frühzeit, p. 108 ann. 1, qui quo argumento poetam defendit, non probo). Quod si esset, omnino alia intercederet ratio inter Vergilium et exemplaria sua.

Sed hos versus et quod Aratum et quod reliqua Vergili exemplaria attinet, eximium et rarum locum obtinere compluribus rebus demonstratur. Primum enim scholiastes totos versus similes exscribit, id quod nullo facit loco alio; commotus igitur videtur esse maiore, quam observavit, similitudine; deinde verbis usus est, quae alio loco invenimus nullo: ‚hic locus de Varrone est'; neque enim dicit translatum esse locum vel formatum vel acceptum vel Varronianum vel Varronis; tertio non omnes videtur versus afferre Varronis, sed nonnullis praeteritis ipsos eos exscribere, quibus Vergilius usus est[65]). Unde sequi mihi videtur, ut, si quidem cetera quoque Aratea transtulit Varro, Vergilius eis non ita usus sit, ut mentione dignum fuerit; nam cur is, pui hoc loco Varronis imitationem observavit, idem in ceteris observare non potuit neque ita illud notare de toto Vergili de signis loco? Immo quaesivisse videntur interpretes, num aliud quid invenirent e Varrone translatum, neque quicquam repperisse nisi illud v. 397 ‚vellera lanae'. Ex hoc igitur loco neque de Phoenomenis neque de aliis Vergili exemplaribus aliquid colligere audeas. Accedit, quod iam statuimus Vergilium nonnullis locis non tam Ennium quam Homerum secutum esse atque similia statuemus de aliis locis Varronianis.

2) Ad Apollonium Rhodium (Arg. II. 711) redit versus g. II. 404 ‚frigidus et silvis aquilo decussit honorem' ad

---

65) De hac re aliter iudico atque Leo (l. l. p. 52), qui iam Varronem ex Arateis delecta latine reddidisse censet; colligo enim e Vergiliana imitatione particulae ‚aut' (aut arguta lacus circum vol. hirundo) etiam apud Varronem alias particulas ‚aut' in sequentibus versibus respondisse.

quem Servius (cf. Schol. Bern.) notat: ‚Varronis hic versus est‘. Sed ex exemplis supra p. 59 collectis sequitur, ut valde dubium sit, an revera ad verbum hunc versum transtulerit Vergilius; neque ergo audeam illum versum inter Varronia fragmenta recipere (fr. 6. p. 333 B).

Etiam et Probi ad g. I. 14 notatione (Hagen p. 351, 22) ‚traditur haec historia de Aristaeo in corpore Argonautorum ⟨cf. Ap. Rh. II. 500⟩ a Varrone Atacino‘ de imitatione Vergili nihil potest colligi. — Sed ut cognascas, quae sit ratio inter Apollonium Varronem Vergilium, compares quaeso illas locas, quibus describitur noctis silentium: Ap. Rhod. Arg. III. 743, Varron. Att. III. fr. 7 B. Verg. a. IV. 522 cum Heynii commentario. Unde intelleges quantum absit, ut Vergilius Varroniana transferre solitus sit.

4) De Eratosthene diximus p. 30 sq.; eundem locum ante Vergilium Varro in ‚Chorographia‘ transtulerat sic:

fr. 14 B. at quinque aethereis zonis accingitur orbis
ac vastant imas hiemes mediamque calores:
sic terrae extremas inter mediamque coluntur
quas solis rabido numquam vis adterat igne.

Ergo Vergilius (g. I. 233—238) solis verbis ‚inter mediamque‘ v. 237 novisse se Varronis locum demonstrat; in reliquis aut suum sequitur ingenium aut Eratosthenis versus, non Varronis.

Iam ad finem progressi sumus comparandi Vergili versus cum exemplaribus Graecis et Latinis atque iudicium faciendi de Macrobi scholiorumque notationibus. Atque via longa quidem, sed non inutili, ut spero, cognovimus, quam non fides sit habenda scholiis atque Macrobi auctoribus, cum modum imitationis Vergilianae immodestis verbis designent. Macrobi collectio quamquam ad hoc ipsum scripta est, ut quam obnoxius esset Vergilius exemplaribus demonstraretur, tamen levia tantum protulit: in ‚versuum‘ numero multa hemistichia, nonnullos paene solidos (VI. 1. § 23. § 39), unum totum (§ 20), cui duo addendi sunt ex scholiis (p. 178 et 181), totos locos non attulit nisi libere

redditos. Sententiarum tragicarum sensum tantum transtulit Vergilius, non verba; Sueium (ib. § 37) et Hostium (VI. 3. 1) omnino non novisse, Naevi sermone non usus esse videtur. Etiam Graecis exemplaribus neglectis Latinorum poetarum locos inde fictos transformavisse falso dicitur, scilicet utrumque exemplar ante oculos habebat. Obtrectatores igitur undique conquisiverunt ex litteris Latinis, quae aliquo modo comparari possent cum Vergili versibus; unde Macrobius non omnia quidem exempla affert, sed certe magnam partem, scilicet de Lucretio plurima recte exhibet et de Ennio sine dubio gravissimas res profert [66]); de poetis Vergilio aequalibus unum quidem exemplar affert. Itaque cum in tali collectione una cum scholiis ne unus quidem locus appareat, quo Vergilius plus uno versu integrum transtulerit, coniectura certa est Vergilium plus usquam accipere aspernatum esse. Quod confirmatur etiam alia re. Skutschius (Aus Vergils Frühzeit p. 103 sq.) recte dicit: ‚Was die principielle Frage angeht, so muss man sich erinnern, dass auch gegenseitiges Citieren ein Erbstück ist, das die Römer von den Alexandrinern übernommen haben'. Ergo non solum rem sed etiam modum eos accepisse ab Alexandrinis verisimile est: qui, quantum video, sententiis quidem sermoneque aliorum poetarum interdum usi non plus singulis versibus transferre solebant [67]). Etiam quae de Catulli imitatoribus Hauptius (op. II. 71) affert, atque quae de Ovidio omnibus nota sunt (Zingerle, Ovid u. s. Verh. z. d. Vorgängern. Innsbruck 1869 et 1871) — excepta videlicet Consolatione ad Liviam — eundem modum transferendi vel laudandi exhibent. Quod ad Vergilium attinet, ipsi versus Varroniani (g. I. 375 sqq.) utiles sunt: nam si is fuisset Vergilius, quem fuisse Skutschius nobis persuadere vult, dubium non est, quin immutatum Varronis locum translaturus fuerit.

---

66) Via et ratione Annalium libri excussi sunt, plurima, ut exspectandum est, e l. I. allata, quo praecipue usus est Vergilius.

67) Ipse examines quae affert Skutschius l. l. p. 104; de Apollonio (III. 1372) res incerta est.

Omnino Skutschius quibus diversis modis similia esse possunt duorum poetarum carmina confudit. Secernendum enim est quod cum industria ad alius poetae exemplar fictum, ab eo quod ex eius sermone quasi sine consilio acceptum est, et si quid cum industria translatum est, quaerendum est, utrum alius poetae memoria palam excitetur an furtum fiat, quam differentiam optimi poetae sine dubio sentiebant. His recte seiunctis primum quae de rationibus inter Ennium et Vergilium intercedentibus suspicatur Nordenus (comment. ad Aen. l. VI), aliena esse ab hac quam tractamus quaestione apparet (cf. Leo, Herm. XLII p. 57, ann. 2). Deinde Vergilium omnibus certis quidem locis praeclaros versus (totos vel paene solidos) palam et modeste accepisse elucet; sin Ciris auctor Cornelius Gallus esset, Vergilius inde aliquot versus leves atque mediocres impudenter subripuisset — id quod versibus a Leone (Herm. XLII, 58) exscriptis, sed etiam totius fere carminis tenore demonstratur. Sed tale furtum Vergilius non fecit: ergo Ciris post Vergilium facta est. Quae argumentatio per se iam certa ac valida confirmatur singulis utriusque poetae locis inter se collatis atque accurate examinatis: quam quaestionem totam Leo nuper subtiliter tractavit.

Vita.

Georgius Eduardus Fridericus Regel Georgi filius natus sum Wetzlariae a. d. VII. Kal. Iun. a. 1884. Fidem confiteor evangelicam. Maximam vitae partem Aquis degi, qua in urbe regium Imperatoris Guilelmi gymnasium frequentavi, cui pater carissimus iam tum praeerat director. Vere a. 1902 maturitatis examine superato postquam per quinque semestria Aquis et Bonnae studia exercui mathematica praecipue et physica, autumno a. 1904 Gottingam migravi, ubi totum litterarum rerumque antiquarum studio me darem. Atque quod viros doctissimos Gottingenses Fridericum Leo, Eduardum Schwartz, Jacobum Wackernagel, Georgium Busolt audire mihi licuit gaudeo; quibus omnibus optime de me meritis debitam gratiam refero.

Ut iam pueri animum maxime linguae latinae studium gaudio affecit, ita iuvenis quoque praecipue mentis Romanae scientiam quandam acquirere conatus sum. Cui studio maximae fuisse utilitati persuasum habeo, quod Fridericus Leo prima vestigia mea direxit. Qui cum non solum ad huius opusculi quaestionem me incitaverit sed etiam liberali semper benignitate auxilio consilioque mihi fuerit, summas ago agamque ei gratias.